Josephi Jacobi a Plenck,

Consiliarii cæsareo — regii: chemiæ atque botanices Professoris publici ac ordinarii in Academia medico — chirurgica Josephina, ejusdemque Secretarii perpetui, nec non Assessoris in collegio militari a consiliis sanitatis: Inspectoris pharmacopoearum militarium ac Medici castrensis status militaris supremi.

Elementa Pharmaco-Catagraphologiæ

seu

Doctrinæ de præscriptione formularum medicinalium.

Qui longas remediorum formulas præscribit, aut dolo peccat, aut ignorantia.

Linnæus.

Viennæ

Apud Frideric. Wappler.

1799.

Illuſtriſsimo Domino

Joſepho

Izdenczy de Monostor,

Sacræ Cæſareæ, & Regio-Apoſtolicæ Majeſtatis Status intimi Conſiliario, Inſignis Ordinis ſancti Stephani Regis Apoſtolici Commendatori ac Theſaurario,

Viro

De patria, re litteraria, & favore in eruditos longe meritiſsimo,

Hoc quidquid eſt opusculi in grati animi teſtimonium perenne

offert

Auctor.

Præfatio.

Quum ultimus artis ſaluberrimæ ſcopus ſit methodus formulas medicamentorum rite concinnandi, qua ægrotus cito, tuto ac jucunde curetur, hinc operæ pretium eſse duxi, doctrinam hanc tironibus noſtræ artis in epitomen redigere, quæ prælectionibus foret apta.

Quamvis in præſcribendis medicaminibus ſacra decantetur ſimplicitas, ut certi reddamur, quæ ſingulo medicamini inſit virtus, quod in formula, quæ farraginem continet ingredientium, dijudicari plane nequit, non ſuperflua tamen prudens medicamentorum commixtio eſt cenſenda, quum inde actio nimis violenta quorumdam ſimplicium ab admixtione alterius reddatur blandior, ſecuriorque. Sic jalapæ reſina haud raro tormina & hypercatharſin excitat, quod de reſina ſaponata nunquam obſervatur. Demum virtute miſcellæ pluribus indicationibus ſimul quandoque ſatisfieri poteſt. Sic purgantia cum opio mixta in colica ſaturnina alvum aperiunt, quod abſque eo non præſtant; ſolvit enim opium ſpaſmos inteſtinorum, qui vim purgantem reddunt iner-

tem. Hydrops febres intermittentes excipiens raro ſolis diureticis, facillime vero, ut experientia me docuit, in connubio cum cortice peruviano debellatur. Forma denique medicamenti compoſiti optime tetrum quorumdam medicaminum odorem & ſaporem occultat exemplo amarorum & fœtidorum graveolentium, quæ optime forma pilulari exhibentur. Forma demum medicamento conciliari poteſt, quæ ætati, guſtui aut idioſyncraſiæ ægroti magis eſt congrua. Sic infantes medicamenta facillime forma linctus aſsumunt, dantur adulti, qui pilulas, & alii, qui pulveres nullo pacto deglutire valent.

Exempla formularum, quæ præceptis, ut facilius intelligantur, ſubjunxi, ſunt par-

tim mihi confueta, partim ex virorum clarif-
simorum operibus claſſicis, qui methodum
formulas medicinales præfcribendi docue-
runt, deprompta. Horum primates funt Il-
luftris *Gaubius*, *Grunerus*, *Pichlerus*, *Spill-
mannus*, *Todius*. Plura talium formularum
exhibebit Pharmacopoea medico — chirur-
gica, quam proxime prelo fubjicere conabor.

Elenchus.

Tinctura composita seu elixirium.
Acetum medicatum.
Jusculum medicatum.
Coffea medicata.
Acidula artificialis.

Formulæ *molles.*

Gelatina composita.
Linctus.
Electuarium.
Bolus.

Formulæ *pulvereæ.*

Pulvis internus.
Tragea.

Formulæ *solidæ.*

Species internæ.
Nodulus medicatus.
Resinæ saponatæ.
Pilulæ.
Trochisci.
Rotulæ.
Tabula.
Morsuli.
Pastæ.
Bacillus.
Taleolæ.

Formulæ externæ.

Formulæ *solidæ.*

Emplastrum saturninum.
Emplastrum cerodeum.
Ceratum.
Sparadrapum.
Cereolus.
Suppositorium.
Pessus uterinus.
Masticatorium.

Pulvis fumalis.
Avicula fumalis.
Baculus fumalis.
Fumifugium medicatum.
Clysma e fumo tabaci.
Caſſoletta ſeu vasculum odorarium.
Veſicatorium.
Phœnigmus.
Dropacismus.
Tela cerata.
Trochiscus externus.
Globulus.
Paſta externa.
Exutorium.
Species externæ.
Fomentum ſiccum ſeu ſacculus medicatus.
Lectulus medicatus.
Cucupha.

Formulæ *pulvereæ.*
Adſpergo.
Pulvis dentifricius.
—— ſternutatorius.
Odoramentum ſolidum.

Formulæ *molles.*
Unguentum coctum.
——— tritum.
Linimentum.
Balſamum odoratum.
Cataplasma coctum.
——— crudum.
Epicarpium.
Suppedaneum.
Sinapismus.
Scutum ſtomachicum.
Frontale.

Formulæ *liquidæ.*
Fomentum humidum.

Collyrium.
Odoramentum humidum.
Evaporamentum.
Aqua vulneraria.
Injectio.
Collutorium.
Gargarisma.
Apophlegmatismus.
Clysma.
Lotio medicata feu lavacrum.
Stillicidium.
Vapor medicatus.
Balneum vaporofum.
——— medicatum.

* *
*

Dofes medicamentorum.
Tabula folutionum falinarum.
—— decompofitionum falinarum.
Pretium medicamentorum.
—— pro laboribus pharmaceuticis.

De formulis medicamentorum generatim.

Formula medicinalis audit cofignatio, qua pharmacopœo materiem, menfuram & formam alicujus medicamenti exhibendi indicamus.

Illa autem medicinæ pars, quæ præcepta formulam medicinalem confignandi docet, *methodus formulas medicinales præfcribendi* feu *ars formulandi* vel *pharmaco-catagraphologia* vocatur.

Finis hujus fcientiæ eft legitima præparatio alicujus medicamenti, quo medicus fcopum fuum in curatione alicujus ægritudinis impetrare conatur.

Dividuntur formulæ medicinales generatim.

1. Refpectu *numeri* ingredientium
   in *fimplices*, fi formulæ ex unico, fimplici vel præparato,
   -- *compofitas*, fi hæ ex pluribus conftant medicamentis.
2. Refpectu *temporis*, quo præparatio præfcribitur, in *officinales*, quæ omni tempore in pharmacopoliis jam paratæ proftant.

in *extemporaneas* seu *magistrales*, quæ tempore, quo illis indigemus, præscribuntur, ut emulsiones, decocta &c. vel quæ in pharmacopœa provinciali non prostant.

3. Respectu *applicationis*

in *internas*, quæ ore deglutiuntur,

-- *externas*, quæ corporis cuidam parti externæ applicantur.

Formula composita,

Quæ ex pluribus constat ingredientibus.

Partes formulam compositam constituentes generatim dividuntur

in *essentiales*, quæ basim, vehiculum & dosin,

-- *accessorias*, quæ adjuvans & corrigens constituunt.

-- *accidentales*, quæ præscriptionis concernunt regulas.

Basis est medicamentum princeps in compositione, morbo debellando maxime inserviens. Hinc in formula *simplici* sola est præsens, in formula *composita* in societate aliorum ingredientium præscribitur & fere semper primum locatur.

Vehiculum seu *constituens*, quod basi eam conciliat formam, quam ex medici intentione formula habere debet. Sic pulvis cum syrupo in *electuarii*

cum mucilagine in *pilularum* redigitur formam. Sic saccharum vehiculum est elæosacchari, camphoræ, aconiti.

Dosis cujuslibet ingredientis. Præcipue baseos, adjuvantis & corrigentis, nec non vehiculi. Hoc subinde in decoctis relinquitur arbitrio pharmacopæi.

Adjuvans, quod basis actionem promovet, ut arcanum duplicatum rheo vel jalapæ additum. Sic ipecacuanhæ tantillum additur tartari emetici, si pituita copiosa ventriculum obsidet & ipecacuanhæ actionem eludit.

Corrigens, quod saporem vel odorem ingratum corrigit, quod syrupo grati saporis vel elæosaccharo suaveolentis odoris efficitur. Sed primariam correctionem exigit vehementior *baseos* actio. Sic purgantia *resinosa*, ne intestinorum membranis tenaciter adhærentia excitent tormina nucleo oleoso, vitello ovi vel sapone officinali prius conteruntur. Sic præparata *antimonialia* cum terra absorbente dantur, ne acido gastrico forte præsente reddantur emetica. Sic opium & oleum additur purgantibus, si intestina spasmo contracta, ut in colica saturnina.

Partes formulæ *accidentales* sunt.

1. *Præpositio.* Est mandatum ad pharmacopæum in prima linea positum, nempe ℞ id est recipe, quæ sequuntur.

2. *Deſignatio ingredientium.* Hæc recenſet in ordine linearum medicamenta, quæ formulam ingrediuntur.

3. *Subſcriptio formæ.* Hæc litteris M. f., id eſt misce fiat pulvis, electuarium, bolus &c. inſignitur. Hæc præcipit *modum* præparationis, *formam*, quam habeat, *diviſionem* in doſes aſſumendas & *receptaculum*, in quo medicamentum exhiberi debet.

4. *Signatura.* Hæc littera S. notetur. Continet *titulum* medicamenti, *quantitatem* aſſumptionis, *tempus* & *vehiculum*, ſi illo opus eſt, quo medicamentum aſſumi debet. Hæc omnia idiomate vernaculo adſcribenda.

5. *Confirmatio.* Hæc nomen & characterem auctoris ac diem menſis & anni, quo formula fuit præſcripta, continet.

Formula, quæ omnes intra ſe comprehendit *præſcriptionis regulas*, ſit ſequens *bolus purgans.*

℞ *Pulpæ caſſiæ recenter extractæ unc. j.*
Scamonii tenuiſſime pulverati gran. vj.
Olei expreſſi nucis moscatæ gutt. v.
Syrup. violarum quant. ſatis.

M. f. l. a. Electuarium non nimis molle. Dividatur in bolos ſex. Dentur ad ſcatulam.

S. Boli purgantes, quorum alternatim omni hora unus ſumatur & ſemper vasculum juris bubuli vel infuſi theæ ſuperbibatur.

Viennæ die tertia Januarii 1799.

N. N.

Partes hujus formulæ

Deſignatio ingredientium.

Præpoſitio. ℞.

Baſis. Scamonii gr. vj.

Adjuvans. Pulpa caſſiæ unc. j.

Corrigens. Olei expreſſi nucis moscatæ. gutt. vj.

Vehiculum. Syrupi violarum quant. ſatis.

Subſcriptio.

Forma. M. f. electuarium ſubmolle.

Diviſio formæ. In bolos. n. vj.

Receptaculum. D. ad chartam.

Signatura.

S. *boli purgantes.*

Doſis formæ. Unus pro doſi.

Tempus. Omni hora.

Vehiculum ſuperbibendum. Vasculum juris bubuli vel infuſi theæ.

Confirmatio.

Auctoris nomen. N.

— — *titulus.* N.

— — *locus.* Viennæ.

Tempus præſcriptionis. Dies ſexta menſis Januarii. Annus 1799.

Formula ſimplex,

Quæ ex unico conſtat ingrediente, ſimplici vel præparato.

Formulæ vero *compoſitæ*, quæ in officinis pharmaceuticis jam præparatæ proſtant, ut electuarium contra vermes, ſpecies pectorales, emplaſtrum de cicuta, non quidem medicamenta ſunt ſimplicia, ſed *modo* medicamenti ſimplicis præſcribi ſolent.

Modus præſcriptionis ſimplicis exigit
ex partibus *eſſentialibus* baſim & doſim,
— — *accidentalibus* præpoſitionem, ſubſcriptionem formæ, diviſionem in doſes, receptaculum, ſignaturam & corfirmationem.

Exemplum formulæ *ſimplicis*.

℞ *Corticis peruviani ſelecti ac pulverati unc. j.*
Divitatur in XII doſes æquales. Detur ſingula ad chartam, & invicem ad ſcatulam. S. omni bihorio unus aſſumatur pulvis tempore apyrexiæ.

Exemplum formulæ *compoſitæ modo ſimplicis* præſcriptæ.

℞ *Electuarii contra vermes unc. j.*
D. ad fictile. S. Magnitudo nucis moscatæ ter de die.

Regulæ generaliores præſcriptionis.

Medicus formulam medicinalem præſcripturus bene imbutus ſit oportet

1. *Virtute* & *doſi* ſinguli medicamenti præſcribendi.
2. *Chemia* phyſica ac imprimis *pharmaceutica*.
3. Doctrina *indicationum* & *contraindicationum*.

Generatim vero in qualibet formula evitetur

Farrago medicamentorum. Nunquam compoſita præſcribat medicamina, ſi ſimplicia eundem præſtent effectum. Nunquam in compoſitis duas ponat baſes, aut juvantia vel corrigentia, ſi unum ex his ſufficit; ideo egregia formula non ultra quatuor continere debet ingredientia.

Forma ægroto incongrua. Angina laborantes formulas ſolidas & hydrophobi fluidas deglutire nequeunt. Infantibus fere ſoli linctus & mixturæ, minime pilulæ vel boli conveniunt.

Idioſyncraſia conſulenda. Virum a fatuo lapidum cancrorum pulviſculo vix mitius affectum novit *Gaubius*, quam alium ab arſenico. Teſte *Doeveren* rob ſambuci in homine conſtanter excitavit eryſipelas. Potum Coffé violentiſſimi emetici vice functum in viro quodam obſervavit *Boyle*. Ab

opio, quantitate quamvis exigua ſumto ſpasmos, anxietates horrendas, animi deliquium excitata vidit *Voltelen.*

Miscella incongrua ingredientium. Scopo ſuo excidit, qui ex chemiæ ignorantia mixturæ acidæ addit alcali, ſi acidum indicatur, & vice verſa. Qui tincturam reſinoſam cum vehiculo aquoſo præſcribit, fœde præcipitatam obtinet reſinam. Lapides cancrorum ab acido vitrioli præcipitantur in gypſum. Qui opium cum ipecacuanha præſcribit, nec emeticum, nec anodynum, ſed ſudoriferum obtinet.

Proportio incongrua ingredientium, quæ maxime in decoctis & ſalium ſolutionibus obſervari debet. Libra una aquæ bullientis non ultra ſex drachmas corticis peruviani extrahit, uncia una aquæ non ultra tria grana cremoris tartari ſolvit. In hunc finem *tabulam ſolutionum ſalinarum* huic opusculo adjunxi.

Præparatio incongrua. Aromatica decoctione forti ſuum aroma perdunt. Radix liquiritiæ cocta amareſcit, infuſum vero dulceſcit. Radix aſari pulverata eſt emetica, ejus vero decoctum diureticum. Adſtringentes & emollientes plantæ deſtillatæ aquam ſtillatitiam largiuntur ſimplicem.

Præſcriptio medicamenti ejusdem ſub diverſo nomine. Ridiculum eſt in una eademque formula cinnabarim antimonii cum cinnabari factitia, vel ar-

canum duplicatum cum tartaro vitriolato vel ſale abſynthii medio aut ſalem tartari cum ſale abſynthii alcalino invenire.

Præſcriptio medicamenti ſub forma eidem non congrua. Sic pleraque ſalia ob facilem deliquescentiam, & cortex peruvianus ob magnam, qua ſumi debet, doſim, incongrue forma pilulari præſcribuntur.

Præſcriptio medicamenti tempore incongruo. Riſui pharmacopœi ſe exponit, qui tempore hyberno ſuccos herbarum recentium, aut plantam exoticam recentem deſiderat.

Ingratitudo. Sic amara vegetabilia non forma decocti, ſed extracta illorum forma pilulari præſcribi debent. Eadem forma aſa fœtida, galbanum, caſtoreum & alia graveolentia exhibeantur.

Subſtitutio medicaminis probitate carentis, vel *falſi pro vero.* Quod vitium utrumque medico ex ſtudio *pharmacognoſiœ* innotescere debet. Ideo ſæpius pharmacopolium adeundo examinet, an medicamenta probæ indolis & præparationis proſtent, præſertim exploretur cortex peruvianus, moſchus, gummireſina guajaci &c.

Mutatio formulœ. Non levi ex cauſa medicamentum, ſi indicatur, eſt mutandum, niſi obſervetur, ægrotum hanc formulam jam nimis faſtidire vel medicamento jam adeo aſsueſcere, ut nullus amplius

obfervetur effectus, aut ægrotus hypochondriacus vel melancholicus variationem medicamenti anxie petat.

Scriptura vitiofa. Medicus hanc femper atramento, nunquam plumbagine, nifi neceffitate coactus, fcribat. Ingredientia ipfa, eorumque pondera non fignis chemicis, fed litteris exactifsime formatis exprimat. Nam figna non optime picta facillime errori caufam dare pofsunt. Aliquoties jam aqua fortis pro aqua fontana male fcripta legebatur, hinc ejusdem loco potius aqua communis fcribatur. Nullam denique formulam ad pharmacopolium mittat, nifi prævia attento cum animo relectione, an non quid temere fcriptum aut omifsum fit.

Pretium nimium formulæ. Noscat medicus exacte pretium medicamentorum in loco, quo praxim exercet. Nunquam enim, imprimis pro pauperibus, magni pretii medicamentum eft præfcribendum, fi æque efficax pro viliori proftat. In hunc finem *index pretii medicamentorum* opufculo huic adjectus eft.

Injuftum medicamina propinandi tempus. Optimæ horæ medicinales funt matutinæ & trihorio elapfo poft prandium. Cortex peruvianus mox a paftu fumptus digeftionem ciborum retardat, Male conducit cortex fub paroxyfmo febris intermittentis datus,

Dosis medicamentorum.

Quantitas, quæ formulam constituit, dividitur
in *generalem*, quæ molem determinat integram,
— *specialem*, quæ una vice ægroto exhibetur.

Dosis est difficillima, at maxime necessaria pars formulæ; exigit enim scientiam ex experimentis natam, qua quantitate speciali singulum medicamentum prodesse soleat. Dosis etenim nimis *exigua* nihil agendo morbum non fugat, & *nimia* morbum reddit teteriorem, aut novum producit. In hunc finem *elenchus dosium* medicamentorum maxime usualium est huic opusculo junctus.

Determinant autem dosim ægroti *irritabilitas* & morbi *indoles*. Hinc in dosi determinanda consideretur

Aetas, quo ortui suo est propior, eo est irritabilior, corporis organismus, decrescit per ætatis ascensum ita, ut in decrepita ætate adsit summa hujus proprietatis exhaustio, at simul summa debilitas, quæ magnam evacuationem non fert. Hinc si homini ætatis consistentis, alicujus medicamenti v. g. Rhabarbari una sufficit drachma, tunc sufficiunt

Infanti	anni	1	grana	IV.
— —	annorum	2	—	VI.
— —	— —	3	—	IX.
— —	— —	4	—	X.
— —	— —	5 vel 6	—	XII.
— —	— —	8	—	XVI.

Infanti	annorum 10	grana	XVIII.
— —	— — 12	—	XXIV.
— —	— — 14	—	XXV.
— —	— — 17	—	XXVIII.
— —	— — 19	—	XXX.
— —	— — 50	—	XXVII.
— —	— — 60	—	XXV.
— —	— — 70	—	XX.

At ex ſola ætate vix tuto calculum doſis poſueris. Dantur enim pueri pituitoſi, vulde inſenſiles, et ſenes adhuc valde irritabiles, vivaces ac robuſti.

Sexus. Cæteris paribus feminarum organismus virili eſt incitabilior. Quare doſes medicamentorum minores In feminis, quam in viris ſufficiunt. Conſtitutio denique *temporaria* feminarum magis irritabilis ſub catameniorum fluxu, graviditate, puerperio, lactatione; idem doſis diſcrimen poſtulat.

Temperamentum. Phlegmatici majorem, cholerici calidi minorem ferunt doſem.

Conſtitutio corporis ſubmorboſa. Habitus hyſtericus in feminis, hypochondriacus in viris, proclivitas ad vomitum vel diarrhæam exigunt maximam cautelam in determinanda doſi. Hæc ratio eſt, cur virorum nonnulli hyſterici & imbecilles multo minores medicaminum doses perferant, quam feminæ multæ, imo pueri. Phrenitis gaſtrica, mania, venena narcotica ingeſta ventriculum adeo torpidum

quandoque reddunt, ut ingens dofis tartari emetici vomitum non cieat, nifi hic cum amylo detur.

Idiofyncrafia. Sunt, quos vel odor purgantis movet, dum alios duplicata dofis ordinaria vix afficit.

Anni tempus. Ardentior Sirius & fævius gelu exigit ut corpus levius moveatur, quam aura temperatiori.

Clima, fub quo homo verfatur. Sic Gallus & Italus multo incitabilior Teutonico, hic irritabilior Moscovita. Imo jamjam provinciæ & plagæ quædam in eo fingulare quid habent.

Victus confuetus. Qui non nifi aquam haurire, fructibus ac oleribus vesci ab infantia ad provectam usque ætatem confueverunt, iis major per fingulas vitæ epochas irritabilitas permanet, quam qui vino, cerevifia, cibis animalibus adfueverunt. Hinc prioribus minores, pofterioribus largiores medicamentorum dofes conveniunt.

Affuetudo medicamenti. Ab affuetis non amplius fit paffio. Qui vino generofo affuevit, non amplius inebriatur, qui nicotianæ, non amplius fternutat.

Corruptibilitas medicamenti. Sic emulfio amygdalina æftivo tempore intra medium diem quandoque acescit; hinc non ultra libram unam præfcribatur.

Diffitus pharmacopolii locus a loco ægroti, ruri habitantis; unde dofis totalis pro pluribus diebus, fi corruptio non timenda, præfcribi debet.

Pondera pharmaceutica.

Pondera gravitatem ingredientium deſignant.
Conſuetiſſima in officinis pharmaceuticis ſunt:
Libra medica ℔j continet uncias XII.
—:— *civilis* ſeu *Quarta* continet uncias XVI.
Uncia ℥j continet drachmas VIII.
Drachma ʒj — tres ſcrupulos.
Scrupulus ℈j — grana XX.
Granum gr. j gravitatem habet unius ſeminis piperis albi.
Pars dimidia alicujus gravitatis hoc ſigno ß notatur.

Menſuræ ſolidorum.

Menſura volumen ingredientium deſignat.
Faſciculus, quantum brachio complicato capi poteſt.
Manipulus, quantum manu complectimur.
Pugillus, quantum apicibus digitorum comprehendi poteſt.
Numerus, quando ingrediens aliquod numero determinatur, ut Amygdalæ, Vitelli ovorum.
Certius vero exhibetur loco
Manipuli herbæ unc. ß.
— — floris drach. iij.
Pugilli drach. j.

Menfuræ fluidorum.

Libra una continet ℥xii.
Menfura — — ℔iv.
Vasculum feu *Cyathus* pro thea continet ℥iij.
Cochlear magnum continet ℥ß.
— — — *parvum* — — ʒj.
Gutta una continet circiter gr. ß.

T a b u l a
ponderum pharmaceuticorum.

	Lib.	Lib.ß	Unc.	Unc.ß	Dr.	Dr.ß	Scr.	Scr.ß	Gr.
Granum.	—	—	—	—	—	—	—	—	1
Scrupulus femis.	—	—	—	—	—	—	—	1	10
Scrupulus.	—	—	—	—	—	—	1	2	20
Drachma femis.	—	—	—	—	—	1	1½	3	30
Drachma.	—	—	—	—	1	2	3	6	60
Uncia femis.	—	—	—	1	4	8	12	24	240
Uncia.	—	—	1	2	8	16	24	48	480
Libra femis.	—	1	6	12	48	96	144	288	2880
Libra.	1	2	12	24	96	192	288	576	5760

Abbreviationes in formulis consuetæ.

Add. seu adde.

aa — ana.

B. M. — Balneum mariæ.

C. C. — Cornu Cervi.

c. c. — concisa contusa.

coq. — coque.

Col. — Colatura.

D. — Detur.

f. — fiat.

fl. — flores.

fict. — fictile.

gt. — gutta.

hb. — herba.

inf. — infundatnr.

l. a. — lege artis.

M. — Manipulus. Mensura. Misce.

m. f. — misce fiat.

MP. — Massa pilularum.

Nro. — Numerus.

Ol. p. del. — Oleum per deliquium.

p. æq. — partes æquales.

ppt. — præparatum.

q. s. — quantum ſatis.

q. pl. — quantum placet.

q. v. — quantum vis.

rad. — radix.

ſc. — ſcatula.

S. a. — ſecundum artem.

S. — ſignetur.

Signa pharmaceutica medicamentorum.

🜊 Acidum vel Acetum.

🜋 Acetum deſtillatum.

🜄 aqua.

🜃 terra.

🜂 ignis.

🜍 ſulphur.

🜁 Aer.

🜁 Acidum äereum.

○ Alumen.

☉ Aurum.

⊖ ſal.

⊖v. ſal volatile.

⊖:1 ſal alcali volatile.

⊖c. ſal commune.

⊖x. ſal amoniacum.

⊖m. ſal medium.

⊖: ſal alcali.

⊖:p. alcali cauſticum.

⦶ nitrum.

⊕ vitriolum.

⊕ ſaccharum.

ஃ Oleum.

♁ antimonium.

♁ pulvis.

♂ ferrum.

♀ cuprum.

♃ ſtannum.

♄ plumbum.

☽ argentum.

☿ Mercurius.

☿ 🝞 Merc. ſublimatus.

☿ 🝟 Merc. præcipitatus.

🝁 calx viva.

🝐 Spiritus.

S. V. Spiritus vini.

🜿 Tartarus.

🝕 Urina.

Tinctura.

Vitrum.

Formulæ internæ.

Formulæ liquidæ.

Mixtura.

Medicamentum liquidum, fex vel octo unciarum, ex fola variorum inter fe mixtione paratum, ad cochlearia quædam omni hora vel bihorio fumendum.

Bafis. Quæcunque in aqua folubilia, ut fal, extractum, fpiritus, pulvisve in aqua prævia agitatione vitri fufpenfilis.

Exulent ponderofa, quæ citiffime fundum petunt, ut mercurius dulcis, limatura martis; *tincturæ refinofæ*, quæ ab aqua fœde in grumum præcipitantur; *camphora* in fuperficie liquidi natat, hinc dofes ejusdem non æquales format. Mel album unice camphoram cum aqua fubigit.

Vehiculum conftituit aqua fimplex vel deftillata, decoctum vel infufum.

Corrigens. Syrupo grato fapor ingratus; Elæofaccharo vel aqua florum tiliæ odor ingratus emendatur. Mucilagine nitrum involvitur.

Subſcriptio. M. f. mixtura. D. ad vitrum.

Signatura. Omni bihorio 2 vel 3 cochlearia majora aſſumantur, prævia vitri agitatione.

Exemplum mixturæ *antiphlogiſticæ.*

℞ *Decocti hordei unc. viij.*
Nitri depurati ʒij.
Syrupi rubi idæi unc. jß.
M. d. S. omni bihorio 2 cochlearia.

Exemplum mixturæ *camphoratæ.*

℞ *Camphoræ gr. iv.*
Mellis albiſſimi drach. ij.
Aquæ ceraſorum unc. iv.
Syrupi rubi idæi unc. jß.
M. d. S. omni bihorio cochlear unum.

P o t i o.

Medicamentum liquidum plurium unciarum unico, vel bis reiterando potandum hauſtu.

Baſis, ut plurimum purgans. Manna. Pulpa tamarindorum. Sal amarus. Quandoque baſis eſt *duplex.*

Vehiculum. Aqua ſimplex vel infuſum ſennæ.

Adjuvans. Sal laxans, ut amarus, ſal Seignetti, tartarus tartariſatus, cremor tartari.

Corrigens. Elæoſaccharum macis, aqua florum naphæ. Liquor anodynus.

Subſcriptio. Tempore matutino potetur unico vel duplici hauſtu.

Exemplum potionis *salinæ.*

℞ *Salis amari unc. jß.*
Solvatur in aquæ communis unc. iv.
Colaturæ adde.
Elæosacchari macis. drach. ß.
D. ad vitrum. S. Potio purgans summo mane haurienda.

Exemplum potionis *mannatæ.*

℞ *Mannæ electæ unc. jß.*
Tartari solubilis ʒvj.
Solvantur in aquæ communis unc. iij.
Colaturæ adde
Elæosacchari citri drach. ß.
D. ad vitrum. S. Potio laxans matutino tempore sumenda.

H a u s t u s.

Mixtura unius vel paucarum unciarum unico haustu sumenda.

Basis. Medicamentum exigua dosi efficax, ut opium, tartarus emeticus, ipecacuanha, camphora.

Vehiculum. Aqua simplex vel destillata, emulsio.

Corrigens. Syrupus gratus.

Signatura. Unico haustu sumatur.

Exemplum haustus *opiati.*

℞ *Laudani liquidi gutt. xv.*
Aquæ cinnamomi vinosæ ʒiij.
M. d. S. haustus hora somni sumendus.

Exemplum hauſtus *emetico-laxativi.*

℞ Aquæ laxativæ unc. iij.
Tartari emetici gr. ij.
M. f. ſolutio. S. Medietas illico haurienda, & altera poſt horam, ſi prima portio vomitum non ciet.

S o l u t i o.

Simplex alicujus corporis ſolutio in aqua vel ſpiritu vini.

Baſis plerumque eſt ſal, a morbi cauſa proxima indicatus, & in aquæ copia ſolubilis, ut in tabula ſolutionum ſalinarum indicatur.

Corrigens. Gratioris ſaporis cauſa ſyrupus vel elæoſaccharum additur.

Subſcriptio. Miſc. f. ſolutio.

Signatura. Cochleatim ſumatur.

Exemplum ſolutionis *emeticæ.*

℞ Tartari emetici gr. iij.
Aquæ deſtillatæ unc. ij.
Solvantur. S. Sumantur primum cochlearia duo, dein omni horæ quadrante cochlear unum.

Exemplum ſolutionis e *mercurio ſublimato corroſivo.*

℞ Mercurii ſublimati corroſivi gr. vj.
Aquæ deſtillatæ libr. j.
Syrupi althææ unc. jß.
Solvantur. S. cochlear unum, in vehiculo mucilaginoſo, mane & veſperi.

Julepus ſeu Julapium.

Mixtura pellucida, grata.

Baſis. Acida ſimplicia & dulcificata, ut liquor anodynus, ſpiritus nitri dulcis, vel ſpiritus vitrioli, ſuccus citri; aut ſal eſſentialis tartari, fructuum gelatinæ aut ſucci illorum.

Vehiculum. Aqua ſimplex, cui medietas aquæ deſtillatæ admiscetur.

Corrigens. Syrupus grati ſaporis, aqua vel elæoſacharum grati odoris.

Signatura. Hauriatur vasculatim.

Exemplum julepi *refrigerantis.*

℞ *Salis eſſentialis tartari drach. j.*
Aquæ ceraſorum unc. vj.
Syrupi rubi idæi unc. j.
M. d. S. omni bihorio cochleare unum.

Exemplum julepi *analeptici.*

℞ *Elæoſacchari citri unc. ß.*
Aquæ cinnamomi vinoſæ unc. vj.
Syrupi capillorum veneris unc. j.
M. d. S. omni trihorio cochleare unum.

Exemplum julepi *moſchati.*

℞ *Moſchi genuini gr. xxxvi.*
Aquæ cinnamomi communis unc. iv.
Syrupi rubi idæi unc. ij.
M. d. S. omni trihorio cochleare unum.

Emulſio.

Medicamentum liquidum, coloris lactei, e ſeminibus oleoſo-mucilagineis cum aqua contritis emulſum, vasculatim ſumendum.

Baſis. Amygdalæ dulces. Semina cucurbitacea vel papaveris albi.

Vehiculum. Aqua fere ſemper, rarius decoctum hordei. Conſiſtentia ſit admodum tenuis, emulſio craſſa inducit dyspepſiam.

Corrigens. Saccharum vel ſyrupus albi coloris, ut amygdalinus vel ſeminum papaveris. Vel ſaporis gratioris cauſa aliquot amygdalæ amaræ.

Adjuvans. Nitrum aut camphora ingratum reddunt medicamentum, quod potui inſervit.

Supſcriptio. f. l. a emulſio. D. ad vitrum.

Signatura. Hauriatur vasculatim.

Quantitas. Nunquam paretur major, quam quæ pro nycthemeri ſpatio ſufficit; facile etenim emulſio, imprimis æſtate, acescit, unde in aqua frigida ſervanda.

Exemplum emulſionis *ſimplicis.*

℞ Amygdalarum dulcium recens excort. unc. j.
—— amararum Nro. ijj.
Aquæ communis libr. jß.
M. f. l. a emulſio tenuis. S. vasculum medium ad libitum.

Exemplum emulſionis *camphoratæ.*

℞ Amygdalarum dulc. recens excort. drach. iij.
Camphoræ gr. xij. cum
Sacchari unc. ß tritæ.
Aquæ communis unc. vj.
M. f. l. a emulſio. S. omni bihorio cochleare unum.

Emulſio ſpuria ſeu lac artificiale.

Medicamentum liquidum ex oleo pinguedinoſo vel gummireſina ope mucilaginis gummi arabici cum aqua ſubacta.

Baſis. Aſa foetida, gummi ammoniacum, terebinthina, camphora vel oleum amygdalarum.

Adjuvans. Mucilago gummi arabici vel ovi vitellus, mediante tritura, gummireſinas aut oleum pinguedinoſum in aqua forma emulſionis ſuſpendunt.

Vehiculum. Aqua ſimplex vel deſtillata.

Corrigens. Syrupus vel ſaccharum, aut elæoſaccharum.

Subſcriptio. Misc. fiat lege artis emulſio oleoſa.

Exemplum emulſionis *oleoſæ.*

℞ Olei amygdal. dulcium recen. unc. ij.
Gummi arabici drach. jß.
Aquæ ceraſorum unc. iij.
Syrupi capillorum veneris unc. j.
M. f. l. a. emulſio. S. omni bihorio cochleare unum, et potetur deſuper vaſculum cremoris avenæ.

Exemplum emulſionis ex *gummi ammoniaci*.

℞ *Gummi ammoniaci ſelecti drach. iij.*
Aquæ hyſopi unc. v.
Syrupi capillorum veneris drach. x.
Gummi arabici q. ſ.
ut f. l. a. emulſio. D. S. cochleare unum omni trihorio, cum vasculo cremoris avenæ.

Succus expreſsus.

Succus e plantis recentibus expreſsus.

Baſis. Plantæ antiscorbuticæ aut ſolventes ſuccoſæ. Radicibus minus ſuccoſis aliquantum aquæ prius additur. Riſui pharmacopæi ſe exponeret, qui ſuccum plantæ exoticæ aut e loco diſſito adferendæ, vel tempore anni, quo planta recens haberi nequit, præſcriberet.

Corrigens. Aqua cinnamomi ſimplex aut ſpirituoſa, liquor anodynus mineralis, ne ſtomachus ſucco crudo labefactetur. Paucum ſyrupi, ut ſapori proſpiciatur. Pro delicatulis ſuccus per *ſubſidentiam* depuratus, aut coctionis & albuminis ovi ope *clarificatus* propinatur. Hoc modo longiori quidem aptatur conſervationi, ſed ſemper virtutis medicatæ patitur diſpendium. Ideo quovis die recens parandus eſt ſuccus; facile enim, ni in lagenis, ſuperfuſo oleo, exactiſſime clauſis ſervetur, corrumpi ſolet.

Vehiculum conveniéntiſſimum pro ſucco aſſumendo eſt vasculum jusculi vel ſeri lactis.

Subſcriptio. Plantæ inciſæ, contuſæ exprimantur prelo, ſuccus inde obtentus per ſubſidentiam atque colaturam defæcatur.

Signatura. Mittantur hujus ſucci quovis mane unciæ iv ad ægrum.

Exemplum ſucci ſolventis *inſpiſſati.*

℞ *Herbæ integræ taraxaci,*
Radicis graminis aa q. ſ.
ut exprimantur ſucci libræ ij.
colatura evaporetur ad conſiſtentiam mellis. D. in lagena. S. Mane aſſumatur vasculum.

Exemplum ſucci *antiſcorbutici.*

℞ *Succi expreſſi herbæ cochleariæ,*
— — — *naſturtii aquatici,*
— — — *beccabungæ,*
— — — *acetoſæ aa unc. ß.*
— — *aurantiorum maturorum unc. ij.*
Misceantur, d. in vitro clauſo. S. pro una doſi, tempore matutino ſumenda.

Exemplum ſucci *ſolventis.*

℞ *Succi expreſſi herbæ & radicis taraxaci.*
— — — *fumariæ aa unc. ij.*
Misceantur, dentur in vitro clauſo. S. pro una doſi, tempore matutino ſumenda.

Mixtura contracta seu Guttæ.

Mixtura valde concentrata, guttatim vel parvum ad cochlear sumenda.

Basis. Medicamenta in exigua dosi valde efficacia. Tincturæ fragrantes, Spiritus alcalini, oleaætherea, extracta amara, camphora, in liquore minerali soluta, Spiritus acidi dulcificati, opium.

Corrigens. Syrupus, quo sapor & fragrantia corrigitur.

Subscriptio. M. f. m. contracta.

Signatura. Aliquot guttæ frustulo sacchari aut cochleari aquæ instillatæ sumantur.

Exemplum guttarum *antiscrophulosarum.*

℞ Extract. corticis peruviani.
Aquæ cinnamomi aa drach. j.
Tinct. rhei aquosæ drach. vj.
M. d. S. Mane ac vesperi sumantur 70 guttæ vel cochlear parvum.

Exemplum guttarum *antihystericarum.*

℞ Tinctura castorei unc. ß.
Camphoræ gr. ij.
Syrupi capillor. veneris unc. ß.
M. d. S. omni quadrihorio dentur 40 guttæ.

Decoctum.

Medicamentum liquidum e ſpeciebus in aqua coctis paratum & vasculatim vel poculatim potandum.

Quondam audiebat *Apozema* vel *Ptiſana.* Si vero reſiduæ ſpecies iterum decoquuntur tunc hoc decoctum appellatur *Secundarium* ſive *Bochetum.*

Baſis. Medicamenta, quæ principiis gaudent in aquæ bullientis temperatura ſolubilibus, ut mucilaginoſis, albuminoſis, amaris, adſtringentibus, ſalinis, gummireſinoſis.

Exulent ſubſtantiæ mere reſinoſæ in aqua non ſolubiles, aut metallicæ, excepto tamen mercurio vivo. Exulent denique ſubſtantiæ, quæ in aquæ bullientis gradu ſuum principium volatile dimittunt, ut plantæ aromaticæ, narcoticæ, naſturcinæ, purgantes: aut quæ decoctione alterantur; ſic *rheum* in decoctione magis evadit adſtringens & virtute purgante privatur. *Myrobalani* breviter decocti purgant, diutius decocti adſtringunt. *Opium* decoctione multum vis narcoticæ & *ipecacuanha* vis emeticæ perdit. Radix Liquirintiæ longa decoctione gratam ſuam dulcedinem amittit. Folia *ſennæ* longiore coctione purgans exhibent, tormina excitans.

Durationis reſpectu decoctio ſit *triplex*:

levis, quæ non ultra horæ quadrantem protrahitur, pro *floribus* & *fructibus*;

mediocris, ad mediam horam protracta, pro *herbis* & *radicibus mollibus*;

fortis, quæ a 2, ad plures continuatur horas, pro *lignis durioribus* & *radicibus annosis* requiritur.

Vehiculum ad decoquendum semper est aqua, sed, ne decoctum justo dilutius aut spissius evadat, talis observetur *proportio* menstrui & ingredientium, ut

6 *partes aquæ* ad unam solidi *mollis*,
12 — — — — — *duri* præscribantur, & decoctio ad remanentiam medietatis, vel, si decoctum *saturatum* postulatur, ad remanentiam partis tertiæ liquidi continuetur. Hæc saltem observetur proportio, si medicus arbitrio pharmacopœi relinquit quantitatem menstrui, & solam quantitatem remanentiæ determinet.

Proportio mutua. Plerumque uncia una ingredientium cum aquæ libra una ad remanentiam unciarum viij. decoquitur.

Corrigens. Cortices duræ ruditer contusæ, ligna autem dura prius rasa pro decoctis adhibentur, ut aqua bulliente facilius possint penetrari. Hæ substantiæ vero tenuiter nimis pulveratæ in fundo in unam

coeunt maſſam compactam, quæ aquam difficilius admittit, quam pulvis rudior.

Alius denique præparationis modus eſt ſpecierum decoquendarum *maceratio prævia* per 12 vel 24 horas.

Radix liquiritiæ ad finem coctionis gratam dulcedinem, & ſemen badian ad finem coctionis additum conciliat gratum odorem. *Filtratio* decocti adhuc ferventis optima eſt ejus *clarificatio*. Nam ovi albumine addito partes maxime actuoſæ ſimul e decocto præcipitantur.. Nec nimis impetuoſa fiat coctio. Ebullitionis impetu particulæ ſolidæ a plantarum compage diſſolutæ avelluntur, & reſinoſæ calore aquæ ſolutæ maximam partem ex refrigerato decocto excidunt, unde decoctum *turbidum* evadit & ſenſim *ſedimentum* deponit.

Subſcriptio. Inciſa coq. cum aquæ communis libris tribus ad partis dimidiæ conſumptionem.

Signatura. D. ad vitrum. S. vaſculum quovis biborio.

Decocto ſecundario inſerviunt, quæ prima decoctione penitus non fuere extra. Sic libra j. aquæ ex uncia j. corticis peruviani parum ultra drachmas ſex extrahit. Ideo etiam radix ſarſaparillæ decocto ſecundario inſervit.

Exemplum decocti *antivenerei.*

℞ *Rasuræ ligni guajaci unc. jß.*
Radicis chinæ nodosæ unc. ß.
Caulium dulcamaræ unc. jß.
infund. cum aquæ communis fervidæ libr. vj. post macerationem per noctem coquatur ad remanentiam libr. viij. Colatura detur in lagena. S. Bibatur quotidie pro potu ordinario.

Exemplum decocti *juniperini.*

℞ *Summitatum juniperi incis. unc. iij.*
Aquæ fontanæ q. s.
Coque ad libras duas, addendo sub finem coctionis
Baccarum juniperi contus. unc. j.
Colatura frigida detur. S. unc. iv. ter vel quater de die.

Infusum.

Medicamentum fluidum ex speciebus cum aqua bulliente infusis paratum, vasculatim bibendum.

Basis. Plantæ imprimis aromaticæ, folia resinosa, flores teneri; hos enim coctio nimis destrueret. At infusione haud solum principium aromaticum, sed etiam mucilaginosum, gummosum, adstringens & colorans extrahitur.

Omnium vero primum aroma ab aqua extrahitur, serius principia fixiora, ut color docet. Unde infusio *brevis* sæpe palato grata, *diuturnior* vero amara, acerba, ingratissima, ut infusum theæ Chinensis docet. Semper igitur *copia* aquæ & *mora* infusionis est a medico præscribenda.

Vehiculum eſt aqua, quæ bulliens ſpeciebus in vaſe quodam infuſorio, tecto relinquitur, donec calor pro potu congruens obſervetur.

Corrigens. Raro additur in hunc finem radix liquiritiæ. Utplurimum ſaccharum vel ſyrupus infuſo, jam in vasculum effuſo, ad libitum additur & quandoque lac.

Subſcriptio. Inc. infunde cum aquæ fervidæ q. ſ.

Signatura. Colatura d. S. quater de die vasculum.

Exemplum infuſi *emollientis.*

℞ Fol. malvæ unc. iv.
Rad. althææ unc. j.
Seminum cannabis unc. iij.
inc. & cont. D. in chart. S. cochleare magnum harum ſpecierum cum 4 vel 6 vasculis aquæ infundatur ac colatura mane ac vespere bibatur.

Infuſo-decoctum.

Fluidum ex ſpeciebus partim in aqua coctis, partim ea infuſis.

Baſis duplex. Una quæ decoquitur, ut partes fixæ, altera, quæ infunditur, ut partes volatiles obtineatur, quæ coctione diſſiparentur.

Vehiculum decocti eſt aqua, infuſi vero idem decoctum calidum.

Corrigens. Syrupus vel ſaccharum, quod infuſo-decocto jam parato additur.

Subſcriptio. Inciſa coquantur in aqua, ad finem coctionis adde medicamentum infundendum.

Signatura. Colatura d. S.

Exemplum infuſo-decocti *antifebrilis.*

℞ Corticis peruviani ſelecti unc. j.
coquatur in aquæ communis unc. xiv.
ad finem coctionis adde
Florum arnicæ pugil. ij.
Colaturæ adde
Syrupi chamomillæ unc. ij.
D. ad vitrum. S. omni bihorio cochlearia tria tempore apyrexiæ ſumantur.

Infuſum frigidum.

Medicamentum liquidum ex ſpeciebus in aqua frigida infuſis.

Baſis. Plantæ valde amaræ, præcipue autem cortex peruvianus ruditer pulveratus, tenuis etenim pulvis cum aqua coit in paſtam fere ſolidam, ab aqua difficulter penetrandam.

Vehiculum, aqua frigida.

Subſcriptio. Cortex ruditer pulveratus cum pauca aqua in mortario ſenſim aliquantum conteratur & infundatur lagenæ cum additione reliquæ aquæ fridæ. Relinquatur in lagena ſæpius agitanda per 10 vel 12 horas.

Signatura. Colat. d. S.

Exemplum infuſi *frigidi corticis peruviani.*

℞ Corticis peruviani ruditer pulverati unc. j.
Aquæ communis unc. xiv.
mixta ſeponantur in vaſe clauſo vitreo & loco frigido per duas dies, crebra autem ſub agitatione. Dein colatura detur in vitro clauſo. S. Vaſculum mane ac veſpere.

Vinum medicatum.

Medicamentum fluidum ex ſpeciebus in vino frigido infuſis.

Vinum, cui ſola aromata fuere infuſa, ſaccharo edulcoratum vocatur *claretum* vel *vinum Hippocratis*, quia per manicam Hippocratis colatur.

Baſis. Cortex peruvianus, amara, acria, aromatica, adſtringentia, antiscorbutica, martialia, alcali fixum.

Vehiculum. Vinum bonum, rhenanum, auſtriacum, quandoque hispanicum.

Subſcriptio. Species maneant in infuſione per triduum.

Signatura. S. colatura detur. S.

Exemplum vini *ſtomachici.*

℞ Corticis peruviani optimi unc. j.
Radicis gentianæ rubræ dr. vj.
Flaved. cort. aurantiorum dr. ij.
Vini boni libr. ij.
Maneant in Infuſione per triduum. D. S. bis de die decantetur poculum & bibatur.

Claretum.

Spiritus vini cum aromate vel ſucco fructuum infuſus & ſaccharo dulcificatus.

Hac dulcificatione differt a tincturis & vinis medicatis.

Baſis eſt aroma vel ſuccus fructuum recens.

Vehiculum. Spiritus vini aqua dilutus. *Corrigens* ſaccharum vel ſyrupus.

Subſcriptio. Infundantur per menſem; dein addantur ſaccharum & aqua.

Signatura. Cochleare unum vel duo.

Exemplum clareti *aromatici* ſeu *carminativi.*

℞ Seminum aniſi
anethi
fœniculi
coriandri
carvi
dauci cretici aa unc. j.

Contuſa infundantur per menſem cum ſpriritus vini unc. ducentis & xxx.

Addantur
Sacchari
Aquæ aa unc. xxxx.

Filtrentur. S. duo cochlearia.

Exemplum clareti *fructuum.*

℞ Ceraſorum dulcium maturorum part xxx.
Ribeſiorum rubrorum p. xij.
Ruborum Idæorum p. vj.

Contundantur & infundantur per menſem cum ſpiritu vini pari quantitate.

Succi ope preli expreſſi unciis quingentis & xij.

Addantur

Caryophyllorum contuſorum numero quadraginta viij.
Vaniglia ſiliqua una
Sacchari unciæ nonaginta vj.

Elapſo menſe liquor filtretur. S. cochlearia duo.

Cerevifia medicata.

Cereviſia cum ingredientibus frigide infuſa.
Baſis utplurimum vegetabilia antiſcorbutica.
Subſcriptio. Fiat infuſio frigida per 48 horas.
Signatura. Ter vel pluries de die poculum.
Exemplum cereviſiæ *antiſcorbuticæ.*

℞ Fol. recent. cochleariæ unc. jß.
Radicis raphani ruſticani in taleolas minutas diſſecti unc. ij.
Turionum pini unc. j.

ſuperaffundantur in lagena vitrea ampla
Cereviſiæ frigidæ libr. iv.

Stent vaſe clauſo in infuſione frigida per 48 horas. Colatura per inclinationem vaſis detur. S. Ter vel pluries de die poculum.

Tinctura compoſita ſeu elixirium.

Species cum ſpiritu vini infuſæ.
Baſis. Medicamenta aromatica vel amara.
Vehiculum. Spiritus vini.
Corrigens. Syrupus.
Subſcriptio. Fiat digeſtio ad perfectam ingredientium extractionem.

Signatura. S. Aliquot cochlearia.

Exemplum tincturæ abſynthii *compoſitæ.*

℞ Herbæ abſynthii vulgaris libr. j.
Corticum aurantiorum unc. iv.
Radicis calami aromatici.
——— gentianæ aa unc. ij.
Cinnamomi unc. j.
Conſciſſis & contuſis affudantur
Spiritus vini rectificati libr. xij.
Digerantur ad perfectam tincturæ extractionem, quæ poſt fortem expreſſionem filtretur & ſervetur. S. ut ſupra.

Acetum medicatum.

Species cum vini aceto frigide infuſæ.

Baſis. Vegetabilia aromatica vel acria vel camphora.

Corrigens additur quandoque ſyrupus. Camphora veto ope mucilaginis tragacanthæ vel liquoris anodyni mineralis, vel, quod præſtantius, ope mellis cum aceto ſubigitur.

Subſcriptio. Speciebus conſc. infundatur acetum vini & macerentur in lagena vitrea per 3 dies, liquorem ſæpius agitando; dein coletur levi expreſſione & ſervetur.

Signatura. S. cochleatim.

Exemplum aceti *aromatici.*

℞ Herbæ abſynthii vulgaris.
—— ——— pontici.
—— rosmarini.

Herbæ ſalviæ.
—— menthæ.
—— rutæ. aa unc. jß.
Florum lavendulæ unc. ij.
Calami aromatici
Cinnamomi
Caryophillorum
Nucis moſchatæ
Allii recentis aa dr. ij.
Aceti vini optimi libr. iij.

Macerentur herbæ & flores ſiccati ad perfectam extractionem, in vaſe vitreo bene clauſo. Colaturæ fortiter expreſſæ & filtratæ addantur
Camphoræ dr. vj.
Serventur in lagena vitrea bene clauſa. S. cochleatim omni tri- vel quadrihorio.

Exemplum aceti *camphorati.*

℞ *Camphoræ gr. viij.*
Mellis albi unc. ij.
conterantur, dein adde
Aceti vini boni unc. iv.
M. d. S. omni quadrihorio cochlear unum.

Serum lactis medicatum.

Species in ſero lactis coctæ vel infuſæ.

Baſis. Medicamentum a morbo indicatum ut tamarindorum fructus, ſemen ſynapis; ſucci antiſcorbutici, vinum.

Vehiculum eſt lac ingredientibus in ſerum coagulandum. Rarius ſerum lactis jam confectum pro infuſione adhibetur.

Subſcriptio. Coquantur ſimul & coagulum colatura auferatur.

Signatura. Hauriatur vasculatim.

Exemplum ſeri lactis *compoſiti* ſeu tamarindinati.

℞ *lactis vaccini libr. j.*
ebulliant in vaſe idoneo, tunc admisceantur
Tamarindorum unc. iij.
& protrahatur coctio, ſub crebra agitatione, usque tum lac penitus coagulatum fuerit, tunc ſerum coletur. S.

Exemplum ſeri *ſinapini.*

℞ *lactis vaccini libr. j.*
Seminis ſinapi pulv. unc. j.
coquantur & aufer coagulum colatura. S. libra dimidia omni nocte.

Jusculum medicatum.

Species cum jure carnis coctæ.

Baſis. Vegetabilia vel animalia, ut helices, teſtudines, cancri, viperæ.

Vehiculum. Jus carnis bubulæ vel vitulinæ ſi e vegetabilibus, aqua communis, ſi ex animalibus jusculum parandum.

Subſcriptio. Coquantur ad remanentiam partis tertiæ.

Signatura. S. Vasculatim.

Exemplum jusculi *medicati animalis.*

℞ *Helicum parum contus. Nro. xxx.*
Carnis vitulinæ unc. vj.
Aquæ communis libr. vj.

Coquantur per trihorium in olla ad remanentiam libr. ij. demum filtretur per linteum & bibatur vasculatim.

Exemplum jusculi *medicati vegetabilis.*

℞ *Radicis taraxaci*
— *cichorei aa manip. ß.*
conscissæ coquantur in libri j. jusculi. Colatura detur. S. vasculatim.

Coffea medicata.

Semina vel radices instar seminum coffeæ ustulatæ & cum aqua bulliente infusæ.

Basis. Glandes ustulatæ, vel radices cichorei, vel dauci ustulatæ.

Vehiculum. Aqua communis, rarius lac solum.

Corrigens. Additur tertia vel media pars seminum Coffeæ veræ ustulatorum, ut sapor placidior evadat.

Subscriptio. Pulvis tostus coquatur in aquæ quantitate sufficienti.

Signatura. Colatura bibatur cum saccharo & lactis cremore.

Exemplum coffeæ *medicatæ.*

℞ *Glandium quercinarum tostarum*
Coffeæ tostæ aa unc. ß.
Aquæ communis q. s.
coquantur aliquantum, dein colatura exhibeatur.
S. Hoc decoctum, addito lacte & saccharo, duobus vel tribus cyathis ante prandium hauriatur.

Formulæ molles.

Gelatina medicata.

Medicamentum gelatinofum, cochleatim fumendum.

Bafis. Rafura cornu cervi vel eburis, aut lichen Islandicus.

Vehiculum. Aqua.

Corrigens. Succus citri, fyrupus aceti, fyrupus amygdalinus.

Subfcriptio. Coquantur in aquæ quantitate lento igne.

Signatura. Aliquot unciæ.

Exemplum gelatinæ *cornu cervi acidæ.*

℞ Rafuræ cornu cervi p. j.
Aquæ communis p. viij.
coquantur lento igne ad partium duarum remanentiam, quæ cum expreffione coletur.
Gelatinæ adhuc calidæ partibus iij. admisceantur
Syrupi aceti p. j.
reponantur in loco frigido, ut in gelatinam abeat. D. in pyxide claufa. S. Unciæ quatuor de die.

Exemplum gelatinæ *Lichenis islandici.*

℞ Lichenis islandici concifi unc. iij.
Aquæ communis libr. iv.
coquantur lento igne & fub crebra agitatione ad tertiæ partis remanentiam, quæ cum expreffione coletur & porro ad libram unam infpiffetur, eique adhuc calenti admisceantur
Syrupi fimplicis unc. iij.
denique reponantur in loco frigido, usque dum in gelatinam abeant. S. Unciæ 4 de die.

Linctus seu eclegma.

Medicamentum syrupi crassioris consistentia gaudens, ore detentum liquescens, cochleatim & lente deglutiendum.

Basis. Oleum blandum. Pulvis a morbo indicatus.

Vehiculum, quod subigit & formam constituit, ovi vitellus, mucilago gummi arabici.

Corrigens. Syrupus, mel, vel oxymel.

Subscriptio. Terantur in mortario lapideo & probe subigantur.

Signatura. D. in fictili. S. cochleatim.

Exemplum linctus *diuretici.*

℞ Pulveris lycopodii unc. ß.
Syrupi diacodii q. s.
ut fiat linctus. S. omni bihorio cochlear unum.

Exemplum linctus *emollientis.*

℞ Olei amygdalarum dulc. recens pressi dr. iv.
Vitelli ovorum dr. j.
in mortario lapideo tritis & subactis probe admisceantur.
Syrupi altheæ dr. x.
D. in fictili. S. cochlear parvum.

Electuarium.

Medicamentum consistentiæ pultaceæ e pulveribus cum syrupo vel alio liquido subactis paratum, pluribus una dosibus sumendum.

Basis. Pulveres, extracta, balsama solida, a morbo indicata.

Vehiculum. Syrupus, mel, pulpa, roob. His basis in formam electuarii subigitur.

Proportio mutua. Vehiculi quantitas utplurimum arbitrio pharmacopoei relinquitur. Hinc q. s. praescribitur.

Subscriptio. M. f. electuarium.

Signatura. D. ad fictile. S. Nucis avellanae vel moscatae magnitudo omni bi- vel trihorio assumatur.

Exemplum electuarii *anthelminthici.*

℞ *Pulveris arcani duplicati*
radicis jalapae
—— *valerianae sylv. aa dr. j.*
Oximellis scillitici unc. iv.
ut fiat electuarium. S. nucis avellanae magnitudo omni trihorio assumatur.

B o l u s.

Medicamentum, electuario spissius paullo, ea magnitudine, qua bucca commode excipi & deglutiri potest.

Basis. Medicamentum exigua dosi efficax, ut ipecacuanha, jalapa, mercurius dulcis, kermes minerale, limatura martis, vel quae odore & sapore molesta, ut castoreum, moschus, camphora.

Exulent e bolo salia, quae facile deliquescendo cito formam boli mutarent; viscida, quorum miscella

perdificilis cum vehiculo; gummata resinosa, ut mastiches & olibanum, quæ mora multum indurescunt.

Vehiculum. Utplurimum roob sambuci, pulpa cassiæ, syrupus vel conserva.

Proportio mutua. Magnitudo boli non excedat drachmæ quantitatem, ut commode sine masticatione & præfocationis metu deglutiri possit; ideo in morbis difficili deglutitione stipatis, bolus præscribi nequit.

Ubi ingredientium dosis efficax drachmam excedit, satius est, plures bolos pro una dosi ægro præscribere.

Subscriptio. M. f. bolus l. a. Si plures boli præscribuntur, tunc conspergantur pulvere liquiritiæ, cinnamomi vel lycopodii, ne conglutinentur. D. ad scatulam. Simul mittantur aliquot *nebulæ.*

Signatura. Sumatur bolus quovis bihorio, nebula involutus.

Exemplum boli *purgantis.*

℞ *Radicis jalapæ subt. pulveratæ dr.* ß.
—— *zingiberis gr. vj.*
Syrupi rosati solutivi q. s.
fiat bolus mane sumendus.

Exemplum boli e *stanno*, seu contra tæniam.

℞ *Pulveris stanni dr.* ß.
Conservæ absynthii gr. xx.
Syrupi corticum aurantiorum q. s.
fiant boli tales Nro. vj. S. ter de die unus sumendus.

Formulæ pulvereæ.

Pulvis internus.

Medicamentum ſiccum, ſubtiliter pulveratum, ad minuta cochlearia ſumendum.

Baſis. Quidquid in pulveris formam redigi ſe ſinit. Hinc vegetabilia omnia in doſi non nimis magna efficacia. *Salia* demum extracta activa, ut aconiti, camphora, opium.

Exulent ex pulvere vegetabilia in magna duntaxat doſi efficacia. Salia volatilia facile deliquescentia; medicamenta ingratiſſimi odoris aut ſaporis; medicamenta viscida faucibus adhærentia; medicamenta nimis acria vel corroſiva, ut mercurius ſublimatus, qui fauces corroderet; reſinoſa demum, quæ ſub aſſumtione facile lentescunt in faucibus. In morbis difficili deglutitione ſtipatis pulveris forma non eſt idonea.

Vehiculum. Aptiſſimum eſt ſaccharum, ſi baſis nimis exigua. Sic extractum aconiti vel belladonnæ, camphora, opium, moſchus, kermes minerale cum ſaccharo bonam conſtituit formam pulveris.

Corrigens, ſi eo opus, eſſe poteſt elæoſaccharum gratum.

Proportio mutua, baſis cum vehiculo faciat pondus unius ſcrupuli, raro drachmæ ſemis.

Receptaculum, quo pulvis ægro mittitur, fit *chartulis*, ſi pulvis in ſuas doſes jam eſt diviſus, vel *ſcatula*, ſi doſis ægro vel adſtantibus dimetienda committitur.

Supſcriptio. M. f. pulv. ſubtiliſſimus, detur ad *chartulam.* Tales fiant Nro. ſex. Aut ſi omnium pulverum maſſa inſimul præſcribitur, tunc eſt ſubſcriptio. Misc. exactiſſime & dividatur in ſex doſes æquales, dentur in chartulis.

Signatura. Si pulvis in *chartulis* S. omni bihorio pulvis ſumatur unus; ſi in *ſcatula.* S. omni bihorio parvum cochlear, cum pauca aqua vel nebula involutus ſumatur pulvis.

Infantibus omnes pulveres vehementer respuentibus inſpergantur pulveres purgantes aut anthelmintici feſtucæ panis melle illinitæ.

Exemplum pulveris *purgantis.*

℞ Rhei electi ſcrup. ij.
Rad. jalapæ ſcrup. j.
Cremoris tartari dr. j.
Olei cinnamomi gt. j.
m. f. pulv. S. pro una doſi.

Exemplum pulveris *kermeto-camphorati.*

℞ Kerm. mineralis gr. j.
Camphoræ cum ſaccharo tritæ gr. ij.
Nitri depurati
Sacchari albi aa ſcrup. ß.
m. f. pulveres tales. Nro vj. S. omni trihorio detur unus.

Tragea.

Pulvis aromaticus, ruditer contuſus.

Baſis. Medicamenta aromatica, vel amaricantia. Condita & confectiones. Rudi pulveratione opus eſt, ut diutius in primis viis moretur; tenuis etenim pulvis nimis cito abſorbetur, hinc minus has vias roborat, quam groſsus.

Vehiculum ſit ſaccharum, quod ſaporem gratum aromatibus conciliat.

Proportio mutua. Ingredientium & ſacchari portio æqualis.

Subſcriptio. Miſce f. pulv. ruditer contuſus. D. ad ſcatulam.

Signatura. Omni trihorio cochlear parvum cum pauxillo vini aſſumatur, vel inſpergatur feſtucæ panis.

Exemplum trageæ *ſtomachicæ.*

℞ Corticis peruviani electi drach. ijß.
——— aurant matur. dr. j.
——— cinnamomi dr. ß.
Sacchari albi unc. ß.
M. f. pulv. ruditer cont. D. ad ſcat. S. *omni trihorio cochlear parvum cum hauſtulo vini boni.*

Formulæ ſolidæ.

Species internæ.

Plantarum partes ſiccæ minutim conſciſſæ, raſpatæ vel ruditer contuſæ.

Baſis. Plantæ omnes, quæ infuſis ac decoctis inſervire ſolent. Plantæ conſcinduntur, ligna dura ut guajacum & quaſſia raſpantur, cortex peruvianus ruditer pulveratur.

Subſcriptio. Conſciſſa miſce D. ad chartam.

Signatura. Species pro infuſo vel decocto.

Exemplum ſpecierum pro *decocto althææ ſimplici.*

℞ Radicis althææ
Herbæ althææ aa libr. ij.
Radicis liquiritiæ unc. iv.
conſcindantur & mixta ſerventur S. ſpec. pro decocto altheæ: unc. ß. cum aquæ libr. j. coquatur ad ℥viij. colatura detur.

Exemplum ſpecierum pro *decocto lignorum.*

℞ Ligni ſancti
— juniperi aa libr. ij.
Radicis bardanæ
— ſarſaparillæ aa libr. j.
conſciſſa & miſta ſerventur. S. ſpecies pro decocto lignorum unc. j. cum aquæ libra jß. coquatur ad libram j. colatura detur.

P i l u l æ.

Maſſulæ ſphæricæ, piſi plerumque magnitudine.

Baſis. Forma pilularum dari ſolent 1. *tenacia*, ut extracta, reſinæ, gummireſinæ, ſapones. 2. Medicamenta *generoſiora*, ſeu exigua doſi efficacia. Opium, ipecacuanha, mercurius dulcis, ſublimatus corroſivus, cantharides, kermes minerale. 3. *Odore* & *ſapore* moleſta. Caſtoreum, moſchus, camphora, aſa fœtida.

Exulent e forma pilularum medicamenta majori duntaxat mole efficatia, ut cortex peruvianus. Salia volatilia vel neutra in aere deliquescentia. Oleoſa aut alia liquida.

Infantibus adhuc puſillis, aut ægrotis difficulter deglutientibus, vel ex idioſyncraſia formam pilularem reſpuentibus, pilulæ non ſunt præſcribendæ.

Vehiculum. Pro *pulverulentis* mucilago gummi tragacanthæ, ſyrupus quidam vel conſerva roſarum. Pro *balſamis* liquidis, ut terebinthina, extractum aliquod; ut liquiritiæ, vel pulvis liquiritiæ additur. *Mica panis albi* bonum quidem eſt vehiculum compingens, at paucos poſt dies adeo induresсit cum maſſa pilularum, ut hæ indiſſolutæ ano eliminentur. Si vero ſaccharum micæ panis additur, tunc hæc ſat ſolubilis manet.

Reſinæ cum ſapone veneto in ſpiritu vini ſolutæ &

iterum ad ficcitatem evaporatæ dant maffam refinofam pro pilulis in aqua folubilem.

Proportio mutua. Vehiculi additur q. f. ut e maffa ingredientium pilulæ poffint formari. Non nimis magna dofis pilularum præfcribenda; hæ etenim longiori tempore adeo indurescunt, ut ano integræ exeant.

Subfcriptio. M. f. l. a. pilulæ gran. trium. Quæ enim funt his majora, aut grano uno minora, difficulter deglutiuntur.

Receptaculum fit fcatula, confpergantur pulvere lycopodii vel cinnamomi ne conglutinentur. *Deauratio* pilularum luxus eft ridiculus, fumptuofus, folutionem pilularum in primis viis impediens, & noxius effe poteft, fi aurum cupro inquinatum.

Signatura. S. fumat æger quinque matutino tempore, & totidem ante cubitum.

Exemplum pilularum *purgantium.*

℞ *Refinæ jalapæ faponatæ gr. xv.*
fiant pil. gr. iij. S. pro dofi.

Exemplum pilularum e *mercurio gummofo.*

℞ *Mercurii vivi puri drach. j.*
Pulveris gummi arabici
Mellis puri aa unc. ß.
conterantur in mortario vitreo ad perfectiffimam mercurii exftinctionem, dein addatur
Pulveris radicis liquiritiæ unc. ß.
fiat maffa, ex qua formentur pilulæ gr. iij. S. fumantur pilulæ quinque matutino & totidem vefpertino tempore.

Refina faponata.

Saponis combinatio cum quodam medicamine in formam folidam.

Bafis eft plerumque réfina, ut refina jalapæ vel guajaci.

Menftruum, fpiritus vini rectificatiffimus, cujus ope refina & fapo chemice uniuntur. Sic refinæ facillime in aqua redduntur folubiles.

Subfcriptio. Ingredientibus folutis, folutio filtretur & leni calore ad ficcitatem evaporetur.

Signatura. Ex granis x ad xx refinæ jalapæ pro adultis formantur pilulæ fine torminibus purgantes; cum fex partibus aquæ & pauco fyrupo tinctura purgans, & cum drachma femis pulvis purgans.

Exemplum faponis *jalapini.*

℞ *Refinæ jalapæ*
Saponis officinalis aa unc. j.
Spiritus vini rectificatiffimi unc. viij.

Solvantur in vafe vitreo, folutio filtretur & leni calore evaporetur ad ficcitatem. Maffa obtenta fervetur in vafe vitreo, optime obturato.

Exemplum faponis *guajacini.*

℞ *Refinæ guajaci*
Saponis officinalis aa unc. j.
Spiritus vini rectificatiffimi unc. viij.

folvantur, folutio filtretur & leni igne evaporetur ad ficcitatem. Maffa obtenta fervetur.

Trochisci seu Pastilli.

Orbiculi in utraque superficie compressi, ex pulveribus & mucilagine compacti.

Basis. Pulveres grati saporis & odoris. *Exulent* acria, ingrata, nimis tenacia.

Vehiculum. Mucilago gummi tragacanthæ, hic pulverem efficacius, quam gummi arabici compingit, vel aliquid amyli.

Corrigens. Saccharum vel succus liquiritiæ.

Proportio mutua. Vehiculi tantum q. s.

Subscriptio. Fiant cum mucilagine gummi tragacanthæ trochisci granorum trium. In superficie una vel utraque notantur subinde *stellula* vel *flosculo.*

Signatura. Liquescant in ore ac dein sensim deglutiantur.

Exemplum trochiscorum de *castoreo.*

℞ *Castorei pulverati drach. ij.*
Sacchari albi pulverati unc. iv.
Mucilaginis tragacanthæ q. s.
ut fiant trochisci granorum trium. S. aliquoties de die assumatur unus.

Rotulæ.

Orbiculi in utraque superficie convexi, ex saccharo & liquido quodam parati.

Basis. Succus recens fructuum horæorum, vel oleum æthereum aut pulvis tenuissimus.

Vehiculum. Saccharum, cui liquefacto demum basis additur & massa mixta dein guttatim super tabulam marmoream effunditur.

Subscriptio. Massa supra laminam l. a. guttatim effundatur in orbiculos.

Signatura. D. ad scatulam. S. rotulæ, quarum una liquescat in ore ac sensim deglutiatur.

Exemplum rotularum *Anthelminthicarum.*

℞ Sacchari albissimi pulver. unc. iv.
Aquæ rosarum q. s. ut caloris ope liquescat, dein admisce
Pulveris seminum cynæ dr. ij.
——— cinnamomi.
Vitrioli martis artefacti aa scrup. ij.
f. l. a. rotulæ. S. omni bihorio una liquescat in ore ac sensim deglutiatur.

Morsuli seu Tabulæ.

Tabellæ oblongo - quadratæ ex pulvere & saccharo tabulato confectæ.

Basis. Pulvis a morbo indicatus.

Vehiculum. Saccharum aqua rosarum solutum & ad consistentiam tabulandi coctum, cui postea immiscetur basis.

Corrigens. Saporis gratia aromata, cortices aromaticæ, amygdalæ vel pineæ minutim scissæ basi admiscentur.

Subſcriptio. Maſſa effundatur ſuper tabulam ligneam, ad hunc ſcopum adaptatam, & poſt refrigerationem ſcindatur in tabellas oblongo - quadratas drachmam j. vel ij. ponderantes.

Signatura. S. morſuli.

Exemplum morſulorum *antimonialium.*

℞ *Sacchari albi unc. vj.*
Aquæ communis unc. jß.
coquatur ad tabulationem ſachari, huic admisce ſub perenni agitatione ope ſpatæ ferreæ
Antimonii crudi præparati unc. j.
Clavellorum cinnamomi dr. j.
f. l. a. morſuli. S. ter vel quater de die aſſumatur unus.

Exemplum morſulorum *anthelminticorum.*

℞ *Seminis ſantonici pulverati unc. j.*
Sacchari albiſſimi ad conſiſtentiam tabulationis cocti q. s.
ut fiant lege artis morſuli Nro. xii.
D. in ſcat. S. Mane ac veſpere deglutiatur unus.

Paſta.

Tabula oblongo-quadrata ex decocto inſpiſſato & ſaccharo in paſtam redacta.

Baſis. Conſuetiſſima eſt decoctum ſpiſſum radicis altheæ, cremoris hordei vel liquiritiæ.

Vehiculum. Mucilago gummi arabici.

Corrigens. Saccharum reſpectu ſaporis & aqua naphæ ratione odoris.

Subſcriptio. Inſpiſſentur lento calore, donec maſſæ

manibus nihil amplius adhæreat. Formentur tabulæ oblongo-quadratæ, quæ, chartæ ne adhæreant, ſaccharo & amylo conſpergantur.

Signatura. Urgente tuſſe deglutiatur trochiscus unus, alterve.

Exemplum paſtæ *de althœa.*

℞ Radicis althææ raſæ unc. iv.
Aquæ communis libr. x.
ebulliant ad colaturam libr. ix. cui addantur
Gummi arabici albi pulverati
Sacchari albiſſimi aa libr. ij.
vaporent leni igne, ſpatula lignea continuo agitando, ad ſpiſſitudinem extracti mollioris; dein ab igne remotis ſub continua agitatione admisceantur
Ovorum albumina recenter in ſpumam conquaſſata Nro. xxx.
inſpiſſentur ulterius leni igne, ſemper agitando, donec maſſa manibus non adhæreat, tunc addantur
Aquæ florum aurantiorum unc. ij.
detineantur adhuc per breve tempus ſuper igne, tandem eximatur maſſa amylo conſpergenda.

B a c i l l u s.

Paſta de althæa vel alia in bacillos longos intorta.

T a l e o l æ.

Medicamentum ſolidum, in fruſtula cubiformia, parva diſſectum, in ore liquandum.

Baſis, vulgatiſſima eſt infuſum liquiritiæ.

Adjuvans. Gummi arabicum.

Subſcriptio. Maſſa ſcindatur in fruſtula exigua cubiformia.

Signatura. Una alterave taleola deliqueſcat in ore.

Exemplum taleolarum *catarrhalium.*

℞ Radicis liquiritiæ exſiccatæ & decorticatæ unc. ß.
contuſa infundatur per 12 *horas in aquæ communis fervidæ libr. iij.*
in colatura ſolvatur
Gummi arabici albi libr. j.
Sacchari albi unc. iv.
colentur denuo & evaporentur ad medietatem, quæ ablata ſpuma effundatur in capſulas, oleo amygdalarum illinitas & leni calore exſiccata in fruſtula minora ſcindantur.
S. fruſtulum in ore liqueſcat ac dein deglutiatur.

Formulæ externæ.

Formulæ folidæ.

E[illegible]rum [illegible]

Maffa in frigore folida, [illegible] liquescens, cuti & linteo tenaciter adhærens, ex calce plumbi in oleo cocta conftans.

Bafis. Solutio oleofa calcis cujusdam faturninæ, Minii nempe, lithargyrii vel ceruffæ. Pro bafi *fecundaria* adduntur pulveres vegetabiles, gummirefinæ, mucilagines, fucci expreffi.

Vehiculum calcis faturninæ oleum olivarum, axungia, butyrum, fevum, his calx faturnina folvitur.

Adjuvans. Vis *adhæfiva* ope terebinthinæ, picis vel refinæ. *Ductilitas* ope axungiæ vel febi, aut butyri emplaftro conciliatur.

Proportio mutua. Ad partes duas olei quatuor partes *ceruffæ.* Ad eandem quantitatem olei *lithargyrii* pars una. Et ad unam & dimidiam partem olei una pars *minii* adhibetur.

Subfcriptio. Oleum adeo coquatur fervidum, ut ipfum evaporare incipiat, dein ab igne removetur &

pulvis ſubtiliſſimus calcis plumbi ſenſim ac ſenſim oleo ferventi infunditur, continuo agitando, donec miscella debitam conſiſtentiam emplaſtri acquirat. Hac methodo emplaſtrum non tam facile aduritur. Si herba addenda, tunc ſuccus ejusdem exprimatur, leni ſuper igne coaguletur, & dein coagulum ſiccetur, quantum fieri poteſt, ac in mortario pulveretur, & pulvis hic cum pinguedine ad conſumtionem omnis humiditatis evaporetur ſuper lento igne. Sic herbæ virtus longa coctione non adeo deſtruitur. Eadem ratione herbæ unguentis misceantur.

Vehiculum, quo mediante emplaſtrum cuti applicatur, eſt linteum vel aluta, quibus ope ſpathulæ emplaſtrum calefactum vel igne fuſum illinitur.

Exemplum emplaſtri *ſaturnini.*

℞ Olei olivarum libr. iij.
Minii libr. jß.
Aceti unc. ix.
Coquantur in juſtam emplaſtri fuscescentis ſpiſſitudinem in quo ſolvantur
Ceræ citrinæ unc. iij.
ſemirefrigeratis denique admiscetur
Camphoræ in oleo amygdalarum ſolutæ unc. jß. & ſervetur.

Emplaſtrum cerodeum.

Emplaſtrum ſine ulla calce plumbea, ſed maximam partem ex cera & reſina paratum.

Basis eſt cera cum reſina liquata.
Vehiculum eſt oleum vel axungia.
Subſcriptio. Primo ſimul liqueſiant in cacabo cera, oleum unguinoſum, axungia ſive ſevum. Dein admisceantur perpetua ſub agitatione, prævia autem calefactione, mel, extractum, mucilago, terebinthina. His bene ſubactis cacabus ab igne amoveatur, & maſſæ quodammodo refrigeratæ ſub forti & continua agitatione addantur pulveres tenuiſſimi herbarum aut radicum. Ultimo & emplaſtro fere frigefacto addantur volatilia, olea nempe ætherea, crocus, camphora in alcohole vini ſoluta.

Emplaſtra & ſaturnina & ceroidea parata ac fere refrigerata *malaxentur* in *magdaliones* ſeu baccillos cylindricos & ſub hoc labore, ne manibus adhæreant ſæpe aquæ frigidæ immergantur. Serventur in loco frigido, & partibus volatilibus prædita, involvantur veſica bubula.

Requiſita bene confecti emplaſtri ſaturnini vel cerodei ſunt

1. *Conſiſtentia* in aere temperato ſicca, digitos non inquinans.
2. *Ductilitas* in leni calore ſequax.
3. *Tenacitas* linteo & cuti facile ac bene adhærens.
4. *Mixtio* ingredientium *homogenea.*

Exemplum emplaſtri *cerodei.*

℞ Terebinthinæ libr. j.
Reſinæ pini libr. jſs.
Ceræ citrinæ libr. iij.
Colliquefactæ effundantur in capſulam chartaceam oleo illitam, in tabulas ſcindendæ.

Ceratum.

Emplaſtrum mollioris conſiſtentiæ.

Baſis eſt cera cum ſebo & oleo fuſa.

Subſcriptio. Colliquefiant omnia & ſub continua agitatione cum ſpathula lignea refrigescant.

Signatura. Illinatur linteo & applicetur parti affectæ.

Exemplum cerati *ſimplicis.*

℞ Olei cocti unc. vj.
Ceræ albæ unc. iij.
Spermatis ceti unc. j.
Colliquefiant ut ſupra dictum & ſignetur.

Exemplum cerati *camphorati.*

℞ Cerati ſimplicis unc. j.
Camphoræ dr. ß.
Colliquefiant. S. linteo illitum applicetur parti affectæ.

Sparadrapum.

Linteum emplaſtro ſaturnino utraque in ſuperficie illitum.

Baſis. Emplaſtrum ad fonticulos vel aliud ſaturninum.

Vehiculum. Linteum vel charta alba, fatis firma.

Subfcriptio. Emplaftro liquefacto fub continua agitatione intingantur fegmenta longa, tres circiter digitos lata lintei firmi, quæ frigefacta piftillo vitreo poliantur, & in frufta quadrata fciffa ferventur.

Signatura. S. empl. pro deligando fonticulo.

Exemplum fparadrapi ad *fonticulos.*

℞ Ceræ citrinæ unc. vj.
Sebi cervini unc. ij.
Terebinthinæ,
Olei olivarum aa unc. j ß.
Minii unc. iv.
Colliquefactis intingantur lintea, ut fupra dictum.

C e r e o l u s.

Cylinder calami fcriptorii craffitie gaudens, oblongo-fubacuminatus, flexillis ex maffa emplaftico-elaftica confectus.

Bafis quibusdam eft ceratum pro cereolis.

Vehiculum. Panniculi lintei fubtiliffimi, jam geftati quidem, adhuc tamen folidi, 10 circiter pollicum longi.

Subfcriptio. Hi panniculi cerato fufo & ab igne remoto immergantur, & maffa ope fpathulæ calidæ in panniculis æqualiter extendatur. Dein hi mediante acuta cultri cuspide ad amuffim in fegmenta diffecentur quinque octantium lata, ita tamen, ut pol-

licem unum verſus finem anguſtiora vel in formam pyramidatam terminentur. Hi panniculi primum digitis in cylindros convolvantur, ac dein duos inter aſſeres vel laminas metallicas æquabili rotatione lævigentur, & ſapone fricati in vaſe clauſo ſerventur.

Demum ſola *chorda fidium* humectata, ac dein pondere appenſo elongata & ſic iterum ſiccata, loco cereoli adhibetur. Hæc urethræ immiſſa humiditate intumescit ac urethram bene dilatat.

At hæ *chordæ* ut & *cereoli-vulgares* nimis facile in urethra ſe reflectunt, ac raro ſæpius, quam ſemel vel bis cum ſucceſſu adhiberi ſe ſinunt.

Præſtantiſſimi cereoli conficiuntur, ſi ſuper filo ferreo reticulum mediante acu textoria texatur, hoc dein maſſa ex reſina elaſtica ſoluta quotidie illiniatur & iterum exſiccetur, quæ manipulatio per menſes repeti debet; tandem ſuperficies maſſæ, ex pumice & aqua confectæ, ſuper lamina, ex pileo confecta, poliatur.

Hi duritie gaudent requiſita, mediante ſuo filo ferreo in cavitate cereoli latente omnem in figuram manu flecti ſe ſinunt, ſæpiſſime in uſum adhiberi poſſunt, ob filum ferreum non reflectuntur, ac ob cavitatem ſimul, ſi opus eſt, ſtylo extracto urinam emittunt. Tales cereoli Vindobonæ venales proſtant.

Suppofitorium.

Corpus fubfoldum, ano inferendum, conicum, oblongum.

Bafis non fit nimis dura, aut nimis mollis. Ex butyro cacao, vel fapone, aut fruftulo candelæ domefticæ, vel fruftulo lardi, ope cultri in figuram coni fciffo, domi paratur.

Exemplum fuppofitorii *alvum folicitantis.*

℞ Salis culinaris p. j.
Mellis communis p. ij.
coquantur ad juftam duritiem, f. l. a. fuppofitoria.

Peffus uterinus.

Corpus fubfolidum, cylindraceum, vaginæ muliebri immitendum.

Bafis. Peffi irritantes vix amplius in ufu funt; at peffi ex fpongia in formam mali citrei fciffa, vel ex linteo carpto formati in uteri vel vaginæ prolapfu & in hæmorrhagia uterina adhuc adhiberi folent.

Mafticatorium.

Trochiscus ex materia mafticanda, falivam & mucum oris proliciens.

Bafis. Materia manfilis, nempe tenax & acris, ut radix pyrethri, pimpinellæ.

Adjuvans. Cera vel maftix.

Corrigens. Saccharum vel mel.

Exemplum trochisci *mafticatorii.*

℞ *Mafticis*
Ceræ albæ
Zingiberis aa unc. ß.
M. f. l. a. paftilli pondere dr. ß.
S. liquescant in ore, dein exfpuantur.

Pulvis fuffimigialis.

Medicamentum ruditer tufum, quod accenfum gratum vel ingratum fpargit fumum.

Bafis. Medicamenta facile inflammabilia & fragrantem fpirantia fumum, ut gummirefinæ *fuaveolentes*, ftorax, benzoe, maftiche, olibanum, fuccinum, ambra, mofchus. Si vero fumus indicatur fœtidus, afa fœtida, vel gummi caranæ additur.

Subfcriptio. Misceantur ruditer contufa in pulverem D. ad fcatulam.

Signatura. S. pulv. fumalis, cujus unus alterve pugillus injiciatur prunis, & fuffitus ope lintei quadruplicati exceptus, applicetur parti affectæ.

Exemplum pulveris *fumalis.*

℞ *Mafiches*
Olibani
Benzoes

Baccarum juniperi aa unc. ij.
Ruditer contusa d. ad scat. S. pulv. pro suffimigio.

Exemplum suffimigii *antiloimici.*

℞ *Florum sulphuris*
Nitri depurati
Myrrthæ aa unc. j.
Ruditer contusa d. ad scat. S. pulv. fumalis, cujus pugillis aliquot in prunas insperfis vaporentur cubilia, bis quotidie.

Avicula fumalis.

Pyramis tripedalis, quæ in apice accensa fumo grato cubiculum replet odore.

Basis. Species pulveris fumalis cum pulvere carbonum tiliæ, qui ignem alit.

Subscriptio. Species cum mucilagine gummi tragacanthæ redigantur in massam, ex qua parvæ formentur pyramides, quarum bases in tres pedes formentur.

Signatura. Duæ vel tres aviculæ in apice accensæ reponantur super fornace vel lamina ferrea in loco odore grato inficiendo.

Exemplum aviculæ *fumalis.*

℞ *Benzoes electæ unc. viij.*
Styracis calamitæ unc. jß.
Ladani
Olibani
Mastichis

Caryophyllorum aa dr. j℔.
Carbonum tiliæ unc. xxxvj.
Pulverata redigantur cum mucilagine tragacanthæ in massam, e qua formentur aviculæ. S. ut supra.

Baculus fumalis.

Baculus forma ceræ sigillaris, qui accensus grati odoris spargit fumum.

Basis. Species pulveris fumalis cum gummi lacca & oleis stillatitiis.

Subscriptio. Species mediante mucilagine gummi tragacanthæ redigantur in massam, quæ formetur in baculos instar ceræ sigillaris. D. ad scatulam.

Signatura. Fornaci aut testæ calidæ baculus parum adfricetur, ad discutiendum foetorem cubiculi.

Exemplum baculi *fumalis suaveolentis.*

℞ *Gummi laccæ in tabulis unc. iij.*
Pulveris gummi benzoes.
—— —— ladani
—— —— mastichis aa unc. i.
Balsami peruviani nigri dr. j.
Olei stillatitii ligni rhodii
—— ——— cariophyllorum aa scrup. j.
Mucilaginis gummi tragacanthæ q. s.
M. f. l. a. baculus. S. ut supra.

Clysma e fumo tabaci.

Fumus tabaci in anum immiſſus.

Baſis. Folia nicotianæ, optimæ indolis, minutim conſciſſa.

Inſtrumentum pro hoc fine neceſſarium conſtat 1mo ex *tubo flexili*, cujus unum extremum capitello aurichalceo, & alterum extremum canula eburnea vel lignea, ut in clyſtere vulgari, inſtruitur. 2do. ex *folle manuali.*

Applicatio. Capitellum aperitur, nicotiana conſciſſa & fruſtulo ſpongiolæ incenſæ impletur, ac iterum clauſum ope ſui tubuli orificio follis jungitur. Extremum autem eburneum tubuli ano ægroti immittitur. Demum inferius manubrium ligneum follis manu dextra, & ejusdem anulus aurichalceus manu ſiniſtra prehenſa cito ſurſum ac deorſum moventur. Hoc motu follis cito aperitur ac clauditur, hinc fumus nicotianæ ex capitello per tubum flexilem perenniter in anum impellitur.

Ubi hoc inſtrumentum ad manus non eſt, & mora periculo non caret, manubrium fiſtulæ tabacariæ brevis ano immittere, & capitello ejusdem nicotiana accenſa repleto, admovere aliud vacuum capitellum fiſtulæ pariter brevis, & poſtquam utrumque charta circumvolutum fuit, per hanc alteram fiſtulam, ſumma vi inflare fumum debemus: vel vaginæ cultri

ad apicem recissæ, anoque intrusæ, fistulam accensam admovere oportet.

Cassolleta seu Vasculum odorarium.

Vasculum massa aromatica repletum, quod fervens suavem fragrantiam per äera diffundat.

Basis ingredientia aromatica, balsamica, olea ætherea grati odoris, cum ad delicias magis quam ad sanitatem faciat.

Subscriptio. Detur ad vasculum concavum, ore patulo, quod *Cassolleta* audit.

Signatura. Usus tempore massæ prius tantillum aquæ rosarum adfundatur, & subdito igne calefiat.

Exemplum cassolletæ.

℞ *Styracis calamitæ unc. j.*
Benzoes
Balsami tolutani aa unc. ß.
Radicis iridis florentinæ
Caryophyllorum aromaticorum aa dr. ij.
Ambræ
Moschi aa gr. vj.

Cum aqua rosarum q. s. contusa simul & in pastam redacta, indantur cassolletæ & S. adfusa tantilla aqua rosarum, subdito igne calefiat.

Vesicatorium.

Orbiculus emplastriformis cuticulam a cute in vesicam elevans.

Basis. Pulvis cantharidum vel euphorbi.

Vehiculum massa emplastica vel emplastrum.

Corrigens. Camphora additur, quæ stranguriam impedire censetur.

Subscriptio. Extende massam bifloreni magnitudine, & crassitiei 2 linearum super alutis orbiculatis & chartæ ceratæ immittatur.

Signatura. Applicentur ad suras sub utroque poplite aut alibi, ut indicatio fert.

Exemplum emplastri *vesicatorii.*

℞ *Emplastri de mucilaginibus unc. j.*
Cantharidum tenuiter pulveris dr. ij.
Camphoræ scrup. ij.
Terebinth q. s.
Accurate mista extende super alutis orbiculatis. S. applicetur ad suras.

Phoenigmus.

Medicamentum emplastriforme, cuti ruborem inflammatorium inducens.

Basis primaria est pix burgundica. Sed etiam hunc in finem Galbanum & Sagapenum potest adhiberi. Alii unam partem emplastri vesicatorii cum partibus 3 emplastri de meliloto miscent.

Subscriptio. Pix burgundica cum ceræ tantillo, ne nimis cuti adhæreat, emplastri instar corio ad magnitudinem manus illiniatur.

Signatura. Imponatur loco inter fcapulas. Omni triduo vel quatriduo auferatur phænigmus & abftergatur, femel autem intra duas hebdomades renovetur.

Tuto feponitur poft præftitum ufum, modo amplitudo emplaftri fenfim minuatur, & tandem fub tempeftate calida omnino dematur.

Ufum habet phœnigmus in tuffi pertinaci rheumatica & in angina crebrius redeunte præcipue apud infantes.

Exemplum.

℞ Picis burgundicæ unc. j.
Ceræ flavæ dr. j.
Misceantur & extendantur fuper corio ad magnitudinem manus. D. S. ut fupra.

Dropax feu Dropacismus.

Medicamentum emplaftriforme ex pice conftans.

Bafis pro dropacismo *fimplici* eft pix ficca, pro *compofito* autem, quo pars paralytica eft rubefacienda, additur galbanum & piper tenuiter contufum.

Subfcriptio. Pix modica, oleo liquata, illiniatur corio ad manus magnitudinem.

Signatura. S. Applicetur calidum parti affectæ, prius frictæ, & priusquam refrixerit, iterum fubito avellatur, quod repetendum, donec pars rubeat, tumeat, caleat.

Usus. Commendabatur olim dropacismus *ſimplex* ad tineam capitis curandam, at crudele eſt remedium & non tuetur contra morbi recidivam. Dropacismus vero *compoſitus* in membris paraliticis ſuadetur.

Exemplum dropacis *antiparalytici.*

℞ Picis unc. ij.
Galbani
Piperis tenuiter contuſi dr. iij.
Olei laurini q. s.
M. f. ſ. a. emplaſtrum alutæ illinitum.

Tela cerata.

Linteum ceromelle imbutum.

Baſis eſt ceromel.

Vehiculum vero linteum.

Subſcriptio. Cera cum melle communi crudo, leni igne in vaſe terreo vitreato liquescant, his immergitur linteum, quod poſt refrigerationem piſtillo vitreo politur ac in fruſta quadrangularia discinditur.

Signatura. Vulnera & ulcera loco emplaſtri hac tela tegantur.

Exemplum telæ *ceratæ.*

℞ Ceræ albæ
—— flavæ aa unc. j.
Mellis communis crudi unc. iv.
Liquescant leni igne, dein immergatur linteum.

Trochiscus axternus.

Medicamentum ſolidum, quod orbiculum complanatum refert, uſui externo dicatum.

Baſis. Medicamentum cauſticum, vel odoriferum, vel aliud a morbo indicatum.

Vehiculum. Mucilago gummi tragacanthæ vel farina.

Subſcriptio. Fiant trochisci drachmæ unius vel unciæ ſemis.

Signatura. Detur ad ſcatulam. S. trochiscus cauſticus vel aromaticus.

Exemplum trochisci *cauſtici rubri.*

℞ Mercurii præcipitati rubri
Aluminis uſti
Farinæ tritici aa unc. ß.
Aquæ communis q. s.
fiat maſſa in trochiscos unciæ ſemis formanda.

Exemplum trochisci ad *foetorem oris.*

℞ Terræ japonicæ unc. ij.
Iridis florentinæ dr. ß.
Ambræ griſeæ gr. v.
Sacchari albi unc. ij.
Mucilaginis gummi tragacanthæ q. s.
fiat maſſa in trochiscos formanda, drachmam ſemis ponderantes.

Globulus.

Medicamentum ſolidum forma globuli parti externæ applicandum.

Basis plerumque medicamentum irritans.
Vehiculum massa emplastica.
Subscriptio fiat globulus, pisum majus referens.
Exemplum globuli *irritantis.*

℞ Emplastri vesicatorii q. s.
formetur in globulos, pisi majoris magnitudinis. S. imponatur fonticulo.

Pasta externa.

Medicamentum subsolidum forma pastæ loco externo applicandum.
Basis. Medicamentum a morbo indicatum, persæpe causticum.
Vehiculum. Amylum vel sapo.
Supscriptio. Misce, fiat pasta.
Signatura. D. ad fictile. S.
Exemplum pastæ *depilatoriæ.*

℞ Auripigmenti unc. j.
Calcis vivæ libr. j.
Amyli unc. x.
Aquæ q. s.
Sensim inter terendum addendæ, ut fiat pasta, S. loca pilosa inungantur, quo facto pars illico abluenda.

Exutorium.

Corticis Mezerei frustulum brachio imponendum.
Basis. Frustum corticis Mezerei longitudinis unius

pollicis & latitudinis 6 vel 8 linearum. Cortex fit recens vel, fi exaruerit, aceto vini vel aqua per 8 vel 10 horas maceretur.

Signatura. Imponatur brachio fubter loco, cui musculus deltoideus inferitur, & fpleniolo tectum, fascia firmetur.

Initio opus eft mane & vesperi commutare fruftulum, poftea autem erofa epidermide fufficit id femel de die vel diebus alternis fieri.

Species externæ.

Medicamenta minutim confciffa aut ruditer pulverata pro ufu externo.

Bafis. Herbæ emollientes, refolventes, adftringentes, anodynæ, farinæ.

Subfcriptio. Confciffa mixta dentur ad chartam.

Signatura. Species pro fomento, vel cataplasmate.

Exemplum fpecierum *emollientium.*

℞ *Herbæ malvæ*
—— althææ
Florum verbasci
Radicis althææ
Seminum lini
—— fœnugræci aa q. pl.

Confciffa, contufa & mixta dentur. S. Spec. emollient.

Exemplum ſpeciernm *reſolventium.*

℞ Florum arnicæ
—— lavandulæ
Herbæ majoranæ
—— marrubii
—— origani
—— rosmarini
—— rutæ
—— ſalviæ
—— ſcordii
—— ſerpylli
—— thymi aa q. pl.
Conſciſſa & miſta d. ad chartam. S. ſpecies reſolventes pro fomento.

Fomentum ſiccum ſeu Sacculns medicatus.

Species pulverulentæ ſacculis linteis inſutæ.

Baſis. Species vel farinæ quæcunque cereales.

Subſcriptio. Inſuantur duobus ſacculis ex ſindone confectis, ac æqualiter diſtributæ interpaſſentur.

Signatura. Sacculi prius calefacti, alterni imponantur parti affectæ. Quandoque glebula camphoræ perfricantur. Quandoque in vino vel lacte cocti & expreſſi applicantur hi ſacculi.

Exemplum ſacculi *discutientis.*

℞ Specierum emollientiam in pulvere unc. vj.
Florum chamomillæ
—— Sambuci aa unc. ß.
Farinæ Lycopodii unc. j.
m. S. Species pro ſacculo discutiente.

Nodulus medicatus seu Petia.

Species medicatæ, sindoni inclusæ, quæ in liquido quodam suspenduntur vel infunduntur.

Basis. Species purgantes, diureticæ vel antiscorbuticæ.

Subscriptio. Indantur sacculo ex sindone confecto, superius colligando.

Signatura. Suspendatur nodulus vel infundatur in liquido, vino nempe vel cerevisia.

Exemplum noduli *purgantis.*

℞ Foliorum sennæ dr. iv.
Arcani duplicati dr. jß.
Conscissa includantur sindoni. S. nodulus purgans. Coquaquatur per 1/4 horæ in cerevisiæ dulcis libra ß vase clauso & exprimatur. Capiat æger vasculum omni semihora, donec purgetur.

Lectulus medicatus.

Pulvinaria speciebus roborantibus impleta.

Basis. Plantæ aromaticæ minutim conscissæ.

Subscriptio. Plantæ aromaticæ cum dupla portione paleæ hordeaceæ mixtæ immitantur pulvinaribus, quibus infantes rhachitici incumbant.

Exemplum lectuli *medicati.*

℞ Foliorum Filicis maris libr. iij.
——— Majoranæ
——— Melissæ
——— Menthæ aa manip. ij.

Florum Melilothi
—— Trifolii odorati
—— Sambuci
—— Rosarum aa unc. ij.

Tritis in pulverem & mistis.

S. Species, quibus cum duplo tanto paleæ hordei mistis ac dein linteo immissis fiant lectulus & pulvinaria, quibus æger incumbat.

Defendantur hi lectuli ab humido & sæpe in äere suspensi ac vento expositi exsiccentur.

Cucupha.

Cucullus, cujus duplicatura speciebus medicatis expletur.

Basis sunt plantæ aromaticæ, ruditer contusæ.

Subscriptio. Species pro cucupha, quæ gossypio exceptæ includantur duplicaturæ cuculli & punctim intersuantur.

Signatura. Tegatur caput cucupha hac mane ac vesperi, fumo ligni juniperini accensi prius imbuta.

Exemplum cucuphæ.

℞ Specierum resolventium unc. vj.
S. insuantur cucullo & eo tegatur caput.

Formulae pulvereae.

Adfpergo.

Pulvis fubtilis locis excoriatis infpergendus.

Bafis utplurimum medicamentum exficcans vel obtundens.

Signatura. Pulvis findoni raræ inclufus excutiatur fuper parte excoriata, vel fuper charta cœrulea infrictione diftributus applicetur & fascia leniter circumvoluta firmetur, vel floco goffypii exceptus applicetur parti affectæ & firmetur.

Exemplum adfperginis *ad intertriginem.*

℞ Seminis lycopodii unc. j.
Florum zinci unc. ß.
m. S. cum goffypio locis denudatis applicetur.

Exemplum adfperginis *ad mamillas.*

℞ Concharum præparatarum dr. iij.
Gummi arabici dr. ij.
Maftiches dr. j.
Misceantur & f. pulv. tenuiffimus. S. Papillæ excoriatæ mammarum confpergantur hoc pulvere.

Pulvis dentifricius.

Pulvis dentibus ope digiti vel fcopulæ affricandus.

Bafis. Medicamentum mucum a dentibus abftergens. Exulent acria & duriora, ne dentes lædantur.

Corrigens. Coloris elegantis caufa additur lacca florentina & odoris ratione caryophillorum pulvis.

Subfcriptio fiat pulvis non nimis tenuis.

Signatura. S. pulv. ad purgandos dentes.

Exemplum pulveris *dentifricii.*

℞ Cornu cervi ufti unc. jß.
Concharum præparatarum unc. j.
Radicis ireos florentinæ unc. ß.
Cremoris tartari dr. iij.
Caryophyllorum dr. ß.
Nucis mofchatæ fcrup. jß.
Misceantur in pulverem. S. pulvis dentifricius.

Pulvis fternutatorius.

Pulvis fubtilis naribus attrahendus, fternutationem movens.

Bafis. Plantæ fubacres virtute errhina præditæ. Mercurius dulcis.

Subfcriptio f. pulvis tenuiffimus. D. ad fcatulam.

Signatura. Aliquoties de die exigua portio attrahatur naribus, usque dum effectum edat.

Exemplum pulveris *fternutatorii.*

℞ Herbæ afari
—— majoranæ aa dr. ij.
Florum lavendulæ
Radicis ireos florentinæ aa dr. j.
Olei caryophyllorum gt. vij.
misce f. pulv. fubtiliffimus. D. ad fcatulam. S. pulv. fternutatorius.

Fumiſugium medicatum.

Nicotianæ medicatæ accenſæ fumus e fiſtula tabacaria ore hauriendus.

Baſis. Herbæ ſuaveolentes cephalicæ cum triplo vel quadruplo tabaci vulgaris foliis mixtæ.

Adjuvans. Quandoque tantillum tincturæ ambræ inſpergitur ſpeciebus.

Subſcriptio. Ingredientia minutim conſciſſa dentur ad ſcatulam.

Signatura. Sugatur fumus mane per dimidiam vel integram horam ex fiſtula tabacaria conſueta.

Exemplum tabacæ medicatæ pro fumiſugio.

℞. Herbæ ſalviæ
—— majoranæ aa M ß.
—— thymi
Florum liliorum alborum
—— roſarum aa ſcrup. j.
Corticis cascarillæ
—— cinnamomi aa ſcrup. j.
Craſſiuscule comminutis admiscе
Foliorum nicotianæ conſciſſorum unc. iv.
Tum adſpergas tantillum tincturæ ambræ.
S. Sugatur fumus mane per dimidiam horam, ex fiſtula tabacaria.

Odoramentum ſolidum.

Medicamentum ſolidum fragrantem ſpirans odorem.

Baſis. Aromata ſicca, camphora, aſa fœtida, caſto-

reum, ambra, moſchus, ſal volatile ſiccum, ſal aceti.

Adjuvans. Quandoque ſpeciebus pauxillum tincturæ ambræ, vel olei caryophyllorum additur.

Subſcriptio. Species pulveratæ dentur ad ſcatulam vel vitrum, aut ope mucilaginis gummi tragacanthæ redigantur in *trochiſcos*, vel *globulos*, vel *pilas odoratas.* Vel ruditer pulveratæ indantur vasculo ſub nomine *Olla odorata.*

Signatura. Admoveatur naribus in languore. *Globuli* ex collo, aut in carpis geſtantur. *Olla odorata* ob odoris delicias imponitur menſæ.

Exemplum odoramenti *ſicci acetici.*

℞ *Tartari vitriolati ruditer contriti unc. ß.*
Immitatur vasculo vitreo, dein adde
Aceti radicalis q. s.
ad humectandum tartarum, & vasculum obturaculo vitreo optime claudatur. S. Sal aceti naribus admovendus.

Exemplum odoramenti *ſicci aromatici.*

℞ *Sacchari albiſſimi unc. ß.*
Olei ſtill. cinnamomi gutt. vj.
—— —— meliſſæ
—— —— rosmarini aa gutt. iv.
Alcali volatilis ſicci ſcrup. ß.
Cinnabaris q. s. ad coccineum ruborem.
Cito miſta immittantur vasculo vitreo, obturaculo vitreo claudendo. S. Admoveatur naribus.

Formulæ molles.

Unguentum coctum.

Maſſa pinguedinoſa, conſiſtentiæ butyraceæ, calore liquescens, cuti facile illinienda, colliquatione parata.

Baſis. Pulveris tenuiſſimi, calces metallorum, balſama nativa, ſalia, olea eſſentialia, gummi reſinæ, camphora, herbæ recentes, ſucci, vel quod præſtantius, ſucci vegetabiles expreſſi, calore coagulati & pulverati ad finem coctionis addantur.

Vehiculum ſeu *conſtituens.* Olea expreſſa, butyrum, axungia, ſebum.

Subſcriptio. Calore leni liquefacta colentur & continua ſub agitatione refrigescant, & dentur ad fictile.

Signatura. Illiniatur linteo vel infricetur parti affectæ.

Exemplum unguenti *cocti.*

℞ *Ceruſſæ albæ libr. iij.*
Axungiæ porci libr. vj.
coquantur ſub continua agitatione & modica ſubinde aceti inſtillatione in unguenti ſpiſſitudinem.

Unguentum tritura paratum.

Unguentum absque colliquatione, ſed ſola duntaxat contrituratione paratum.

Basis. Medicamentum a morbo indicatum. Pulvis, balsamum & alia.

Vehiculum. Axungia porcina vel anserina, quæ tardius rancescit, sebum.

Subscriptio. Terantur omnia invicem in mortario serpentino.

Signatura. Illiniatur, vel mediante linteo applicetur.

Exemplum unguenti *digestivi.*

℞ *Terebinthinæ libr. j.*
Axungiæ porci unc. jß.
Conterantur in unguentum. S. unguent. digestivum.

Exemplum unguenti *ophthalmici.*

℞ *Axungiæ anserinæ unc. j.*
Mercurii præcipitati rubri gr. ij.
Florum zinci dr. j.
Conterantur in unguentum. D. ad exiguam pyxidem serpinam. S. Palpebra inferiore depressa illiniatur ope pennicilli unguentum pisi magnitudine & palpebris clausis leniter digitis fricetur oculus.

Linimentum.

Unguentum consistentiæ liquidæ, ut olei crassioris.

Basis eadem ac unguenti, subin alcali causticum vel aqua calcis.

Vehiculum. Oleum expressum, sed multo majori copia, quam in unguento, additum.

Subscriptio. Misceantur conquassando simul in lagena vitrea.

Signatura. Illiniatur parti affectæ, vel imponatur ope linteoli.

Exemplum linimenti *volatilis.*

℞ *Spiritus ſalis ammoniaci cauſtici unc. j.*
Olei olivarum optimi unc. iv.
Misceantur, conquaſſando in lagena vitrea. D. S.

Exemplum linimenti *calcarii* ad ambuſtiones.

℞ *Aquœ calcis vivœ unc. j.*
Olei olivarum unc. ß.
Misc. conquaſſando in lagena vitrea. D. S.

Balſamum odoratum.

Unguentum odoris admodum fragrantis.

Baſis. Olea eſſentialia, ambra, moſchus, caſtoreum, camphora, balſamus peruvianus.

Vehiculum. Oleum nucis moſchatæ expreſſum, quod colore & odore ope ſpiritus vini privatum, audit *corpus pro balſamo.* Vel butyrum cacao.

Subſcriptio. Ingredientia cum corpore pro balſamo in mortario ſerpentino exactiſſime conterantur in unguentum. D. ad exiguam pyxidem ſerpentinam, operculo claudendam.

Signatura. Admoveatur naribus vel illiniatur temporibus.

Exemplum balſami *antihyſterici.*

℞ *Olei nuciſtœ expreſſœ dr. ij.*
Caſtorei ſcrup. ij.

Salis cornu cervi ſcrup. ß.
Olei rutæ gutt. vj.
M. f. Balſamus. S. ut ſupra.

Cataplasma coctum.

Medicamentum pultaceum, coctura paratum, mediante linteamine duplicato parti affectæ tepidum applicandum.

Baſis. Plantæ, poma, & bulbi coctura in pultem redigenda; mica panis albi, farinæ lini, tritici, hordei.

Vehiculum utplurimum *lac* & aqua; ſi emolliens, *oxycratum*, ſi reſolvens deſideratur cataplasma.

Adjuvans. Subin additur butyrum vel axungia. Fructus & bulbi prius ſub cineribus aſſari, gummi galbanum prius aceto vel ovi vitello ſolvi debent. Puls vegetabilis cocta manet friabilis, ni farina cerealis vel lini addatur.

Subſcriptio. Coquatur cum ſufficienti quantitate liquidi præſcripti ad conſiſtentiam pultiformem.

Signatura. Portio quædam intra linteum duplicatum admoveatur tepidum parti dolenti.

Quantitas generalis præſcripta pro dupla doſi ſufficiat, ut ablata una, alia portio ſtatim applicari poſſit.

Exemplum cataplasmatis *emollientis.*

℞ *Pulveris radicis althææ*
—— *florum ſambuci*

Pulveris herbæ malvæ
——— — hyosciami
——— seminum lini aa unc. ij.
coqu. cum suff. quantitate aquæ fontanæ ad consistentiam pultiformem. Ab igne remotis adde
Olei lini unc. iij.
f. catapl. S. ut supra.

Exemplum cataplasmatis *resolventis.*

℞ Herbæ cicutæ
— hyosciami ruditer pulver. aa unc. ij.
coq. c. s. quantitate aquæ font. ad consistentiam pultiformem. Ab igne remotis adde
Gummi ammoniaci in aceto soluti unc. j.
M. d. S. admoveatur tepide mammis affectis.

Cataplasma crudum.

Medicamentum pultiforme parti affectæ frigidum applicandum.

Basis. Plantæ recentes contritæ, pulveresve cum liquore quodam in pastam redacti.

Vehiculum. Aqua, vinum, acetum.

Subscriptio. Contundantur in pultem & misceantur cum reliquis ingredientibus.

Signatura. Linteo exceptum applicetur parti affectæ.

Exemplum cataplasmatis *crudi.*

℞ Dauci flavi q. v.
fiat rasura, huic adde
Decocti saturati cicutæ q. s.
ad cataplasma constituendum. S.

Epicarpium.

Cataplasma crudum carpis manuum applicandum.

Subſcriptio. Contundantur in pultem. D. ad ollam.

Signatura. Linteis exceptum ad carpos manuum pedumque plantas admoveatur & idonea ligatura firmetur.

Exemplum epicarpii *antepileptici.*

> ℞ *Herbæ recentis rutæ unc. ij.*
> *cum tantillo vini generoſi in paſtam contuſæ admisce*
> *Moſchi optimi gr. x.*
> *Camphoræ dr. ij.*
> *Mellis unc. j.*
> *Aceti q. s.*
> *ut fiat paſta. S. ut ſupra.*

Exemplum epicarpii *antifebrilis.*

> *S. Summitatum lupuli*
> *Uvarum corinthicarum*
> *Salis marini aa unc. ij.*
> *Contuſa in pultem dentur ad ollam. S. linteis excepta, pulſuum locis in carpis applicentur, duabus horis ante ingruentem paroxysmum.*

Suppedaneum ſeu Supplantale.

Cataplasma crudum plantis pedum applicandum.

Pro *exemplo* ſit epicarpium antepilepticum mox deſcriptum.

Sinapismus.

Cataplasma crudum, quod ſemen ſinapi ingreditur & cutem rubefacit.

Baſis. Semen ſinapi vel erucæ.

Vehiculum. Fermentum panis, acetum ſcilliticum.

Subſcriptio. Commixta in pultem, dentur ad ollam.

Signatura. S. plantis pedum linteis exceptus, applicentur.

Exemplum ſinapismi.

℞ Fermenti panis
Pulv. ſeminis ſinapi unc. ji.
Salis gemmæ unc. ß.
Aceti ſcillitici q. s. ut fiat ſinapismus. S. ut ſupra.

Scutum ſtomachicum.

Cataplasma crudum regioni ventriculi applicandum.

Exemplum ſcuti ſtomachici *roborantis.*

℞ Micæ panis
Pulv. ſeminum cumini aa unc. ij.
—— caryophyllorum arom.
—— nucis moſchatæ aa dr. j.
Vini hispanici q. s. ut fiat paſta S. applicetur regioni ſtomachi mediante linteo.

Frontale.

Cataplasma crudum fronti applicandum.

Exemplum frontalis *hypnotici.*

℞ *Fol. hyosciami*
Florum rhoeados aa dr. ij.
Capitum papav. cum ſemine Nro. iij.
Aceti roſarum q. s. trita in paſtam d. ad ollulam. S. incluſa linteo fronti applicetur frigide vel tepide.

Formulæ liquidæ.

Fomentum humidum.

Medicamentum liquidum, quod linteo vel panno laneo exceptum parti affectæ imponitur.

Baſis. Fluida quæcunque, hinc decocta, infuſa, ſpirituoſa, aceta.

Vehiculum. Linteum duplicatum vel pannus laneus in uſu ſunt. Quidam fomentum veſicæ bubulæ includunt. Hoc modo diſſipatio liquoris præpeditur, atque diutius calor ejus conſervatur, ſed partes nimium premendo haud raro moleſtiam creat.

Subſcriptio. Species ingredientium conſciſſæ coquantur cum aquæ fontanæ quantitate ſufficiente per horæ quadrantem, colatura detur ad vitrum.

Signatura. S. pannus laneus colatura tepida bene imbutus & mox modice expreſſus imponatur parti affectæ.

Præparatio utplurimum ægroto vel adſtantibus committitur, tunc ex officina ſolummodo ſpecies præſcribuntur, & in ſignatura modus præparationis & applicationis adnotatur.

Exemplum fomenti humidi *emollientis* & *anodyni.*

℞ Herbæ malvæ
Radicis althææ aa unc. ij,
Florum chamomillæ
Folior. hyosciami aa unc. j.
incifis m. f. fpecies. D. ad chartam. S. coquantur hæ fpecies cum aquæ fontanæ libr. vj. per quadrantem horæ, colatura bene imbutus pannus laneus, mox modice expreffus imponatur parti dolenti.

Collyrium.

Liquidum medicatum oculis applicandum.

Bafis. Medicamenta antiphlogiftica vel roborantia a morbo oculari indicata.

Vehiculum. Aqua communis deftillata, vel rofarum, lac.

Subfcriptio. Misceantur. D. ad vitrum.

Signatura. Triplici modo collyria applicantur 1. forma *fomenti* ope lintei quadruplicati. 2. Forma *balnei* mediante pelvi vitrea ophthalmica oculo applicata. 3. Forma *guttarum*, quæ oculo mediante linteolo immittuntur.

Exemplum collyrii *antiphlogiftici.*

℞ Aquæ deftillatæ communis unc. vj.
Pulv. Sief albi dr. j.
Sacchari faturni gr. vj.
M. D. ad vitrum. S. linteo quadruplicato exceptum applicetur oculo, omni trihorio.

Odoramentum liquidum.

Liquidum fragrans, fponte vaporans, naribus admovendum.

Bafis. Spiritus aromatici, fpiritus alcalini, tincturæ fragrantes, ut caftorei, aceta fragrantia.

Subfcriptio. Misceantur. D. ad vasculum.

Signatura. Rarius ope vasculi aperti naribus admovetur, fed frequentius guttæ aliquot fpongiolæ in vasculo quodam contentæ, aut fudatoriolo inftillatæ naribus infpiratur ab ægroto.

Exemplum odoramenti *liquidi, Eau de Luce* dicti.

℞ *Spiritus vini rectificatiffimi unc. iv.*
Saponis officinalis gr. x.
Olei fuccini rectificati dr. j.
Spiritus falis ammoniaci cauftici q. s.
mifturæ inftilletur, donec illa lactescat. D. in lagenula, obturaculo vitreo optime claudenda. S. ut fupra.

Evaporamentum gafis.

Medicamentum, quod gas exhalat.

Bafis eft fal neuter, cui affunditur acidum, ut gas expellatur.

Finis talis evaporamenti eft äeris putridi correctio in cubilibus ægrotorum, morbo putrido decumbentium, quod fit gafe acetico; vel ut äer athmosphæ-

ricus gafe falubri imbuatur, fic cubilia fcabioforum aut phthificorum äere hepatico impleri poffunt.

Exemplum gafis *acetici.*

℞ *Tartari vitriolati ruditer contufi unc. ij.*
immittatur lagenæ cum collo ampliori, huic infunde
Aceti radicalis q. s. ad falem in lagena humectandum.
S. lagena relinquatur aperta per aliquot horas in cubiculo ægroti.

Exemplum evaporamenti *hepatici.*

℞ *Hepatis fulphuris unc. ß.*
Solvatur in lagena amplioris colli cum aquæ libr. jß.
dein inftillentur
Spiritus falis acidi dr. ij.
S. lagena relinquatur aperta per aliquot horas in cubiculo ægroti.

Aqua vulneraria.

Liquor medicatus, mediante plumaceolo vel linteolo quadruplicato, vulneri vel ulceri applicandus.

Bafis. Medicamentum detergens vel exficcans.

Vehiculum. Decoctum, infufum, aqua calcis vel communis.

Subfcriptio. Mifceantur. D. ad vitrum.

Signatura. Plumaceolum vel linteolum quadruplicatum humectetur & leviter expreffum ulceri imponatur, & ne exficcetur, *tela cerata* tegatur.

Exemplum aquæ *vulnerariæ ſpirituoſæ.*

℞. Herb. recent. origani
hyſopy
menthæ crispæ
ſalviæ
rutæ
rosmarini
ſerpylli
thymi
meliſſæ
majoranæ
Florum lavendulæ aa unc. j.
Conſciſſis adfundantur
Spiritus vini rectificatiſſimi unc. x.
Aquæ fontanæ libr. xii.
Digerantur per 24 horas & abſtrahantur libr. x. D. S. ut ſupra.

Injectio.

Liquor medicatus in cava corporis ſecundum vel præter naturam patentia ope ſyringæ infundendus.

Nares, puncta lachrymalia, urethra, veſica, vagina, uterus, anus, fauces cava *naturalia*, vulnera puncta, ſinus ulcerum & fiſtularum cava exhibent *præternaturalia.*

Baſis. Medicamentum a morbo indicatum. *Exulent* nimis ſpiſſa vel pulverulenta, ne ſiphunculum obſtruant.

Vehiculum. Decoctum, infuſum, aqua communis.

Inſtrumenta injectoria ſint orificio cavi injiciendi

adaptata, *ſiphunculus* hinc eligatur pro fiſtulis, *ſyringa* pro faucibus, & *metrenchytam* pro clysmate uterino.

Subſcriptio. Misceantur. D. ad vitrum.

Signatura. Quantum cavo capi poteſt, bis de die vel ter injiciatur tepide, ac detineatur per aliquot minuta.

Exemplum injectionis *vulnerariæ.*

℞ Terebinthinæ nativæ unc. ij.
Vitelli ovorum unc. j.
S. a. ſubactis admisce
Mellis communis unc. ij.
Spiritus vini communis unc. ß.
Aquæ communis unc. ix.
D. ad vitr. S. calefactum & probe miſtum injiciatur.

Collutorium.

Liquor medicatus oris collutioni adaptatus.

Baſis. Medicamentum a morbo oris indicatum.

Vehiculum. Decoctum, infuſum, vinum, lac.

Subſcriptio. Misce D. ad vitrum.

Signatura. Quantum buccis non diſpanſis commode capitur, in ore detineatur, vel leniter in eo volutetur.

Exemplum collutorii *antaphthoſi.*

℞ Aquæ deſtillatæ ſalviæ unc. vj.
Vitrioli albi gr. vj.
Syrupi corticum aurantiorum unc. ij.
M. d. S. ut ſupra.

Gargarisma.

Liquor medicatus faucium gargarifationi adaptatus.

Bafis. Medicamentum a morbo faucium indicatum.

Vehiculum. Decoctum, infufum, lac.

Corrigens. Syrupus grati faporis, mel rofatum, oxymel fimplex.

Subfcriptio. Misceantur. D. ad vitrum.

Signatura. Capiat ægrotus, quantum oris cavo poteft, & fupinato capite faciat ejusdem agitationem in faucibus, & iterum exfpuat.

Quando ægrotus fe gargarifare nequit, ut in infantibus, ægris debilioribus, fuive non compotibus, tunc gargarisma *injiciatur* in fauces.

Exemplum gargarismatis *antiphlogiftici.*

℞ Decocti hordei libr. j.
Nitri depurati fcrup. j.
Oxymellis fimplicis unc. ij.
M. D. S. pro gargarismate.

Apophlegmatismus.

Liquor medicatus, in ore detentus phyalismum excitans.

Bafis. Medicamentum apophlegmatifans ex materia medica cognitum. Radix pyrethri, in delicatioribus radix pimpinellæ vel zingiberis.

Vehiculum. Aqua, cui vinum vel acetum additur.

Subſcriptio. Coquantur & colatura detur.

Signatura. Aegrotus hoc liquido tepide colluat & gargariſet fauces omni quadrante horæ.

Exemplum apophlegmatismi *humidi.*

℞ *Radicis pyrethri unc. j.*
coque in aquæ communis libr. j. ad unc. x.
Colaturæ adde
Syrupi violarum unc. j.
M. D. S. ut ſupra.

C l y s m a.

Liquor medicatus inteſtino recto injiciendus.

Baſis. Medicamentum a morbo indicatum.

Vehiculum. Aqua, decoctum furfurum, lac, jus carnium.

Adjuvans. Oleum vel mucilago pro clysmate involvente, Saccharum thomæum, ſal gemmæ, oxymel ſcilliticum pro clysmate irritante.

Inſtrumenta clysmatica. Sipho clysmaticus vel *veſica* clysmatica. Siphone altius, quam veſica urgeri poteſt liquidum. Habetur etiam *machina clysmatica*, quo ſibi ipſe ægrotus clysma applicare valet.

Quantitas injicienda, minor ſit ſi clysma retineri, ut nutriens, emolliens, major, ſi evacuare debet, ut laxans. Purgantium dupla quantitas doſis illius,

quæ ore fumitur, pro clysmste eft præfcribenda. Eadem lex efto pro adulto unc. viij.

— infante unc. vj.

— recens nato unc. ij. vel iij.

Subfcriptio. Mixta coquantur & colatura detur ad fictile.

Signatura. Pro clysmate.

Quando præparatio & applicatio clysmatis *ægroto* vel *adftantibus* committitur, tunc fpecies pro clysmate parando ex pharmacopolio præfcribuntur, & domi coquuntur in clysma.

Methodus clysma applicandi.

1. Aegrotus lateri dextro *incumbat* & anum ad lecti marginem porrigat, placideque refpiret.
2. *Tubus* butyro cocto non falito illitus prævio digito minimo lente immitatur ani orificio, ac dein lente impulfio fiat liquidi in fiphone vel vefica contenti.
3. *Poft injectionem* ægroto commendatur revolutio lenis in latus finiftrum aut in dorfum, fitus quietus, anhelitus tranquilius, alvi retentio, fi clysma non fcopo alvum referandi datum.

Exemplum clysmatis *communis*.

℞ Decocti hordei libr. ß.
Sacchari rubri unc. ß.
Olei olivarum unc. ij.
m. S. pro enemate.

Exemplum clysmatis *anodyni.*

℞ *Infusi seminum lini unc. vj.*
Laudani liquid. Sydenh. gutt. xxx.
Olei olivarum unc. ij.
m. S. pro enemate.

Lotio medicata seu lavracum.

Liquor medicatus pro parte quadam lavanda.

Basis. Medicamentum a morbi indole indicatum.

Vehiculum. Utplurimum aqua, rarius vinum vel lac.

Subscriptio. M. D. ad vitrum.

Signatura. Laventur hoc liquore mane ac vesperi partes affectæ.

Exemplum lotionis *antiherpeticæ.*

℞ *Mercurii subl. corrosivi*
Viridis æris aa gr. vj.
Aquæ communis destillatæ libr. ij.
M. f. solutio. S. pars affecta aliquoties de die abluatur.

Stillicidium.

Liquor medicatus, qui ex alto, vel guttatim, vel rivulo continenti in partem affectam depluit.

Aliis audit etiam *Duccia* seu *impluvium.*

Basis. Medicamentum a morbi indole indicatum.

Vehiculum, utplurimum aqua.

Subscriptio. M. D. ad lagenam.

Signatura. Liquor pro ſtillicidio, qui modice calefactus, apto vaſi immiſſus, de cujus cannula ex alto in partem affectam, denudatam, deſtillet. Huic autem ſuppoſita ſit pelvis, liquorem munere functum ſuo, exceptura. Stillicidio per dimidiam horam continuato, æger in lectum calidum reponatur, parsque affecta cum pannis laneis, ſiccis, calide fricetur. Repetantur eadem ſingulis diebus per aliquot hebdomadas, decoctumque quarta quavis embrocatione renovetur.

Exemplum ſtillicidii *antiparalytici.*

℞ Specierum cephalicarum unc. vj.
Baccarum lauri
——— juniperi aa unc. ij.
inc. cont. coq. c. aquæ communis Mens. iij. vaſe clauſo per quadrantem horæ. Colaturæ admisce
Salis ammoniaci unc. iv.
Spiritus juniperi libr. j.
D. ad lagenas. S. liquor pro ſtillicidio.

Vapor medicatus.

Liquor medicatus ope machinæ vaporariæ ad certam quamdam partem determinatus.

Baſis. Medicamentum igne volatiliſandum, a morbo indicatum.

Vehiculum fere ſemper aqua.

Subſcriptio. M. f. ſpecies. D. ad chartam.

Signatura. Species, quibus aquæ bullientis libr. ij. adfundi debent, & vapor ex vafe vaporario exhalans per fe vel ope *infundibuli* aut *aeolipilæ* parti affectæ applicatur per quadrantem horæ.

Si cavum quoddam, auris v. g. nares, fauces, bronchia, *infundibula;* fi minor aliqua corporis fuperficies eft vaporanda, tunc *Aeolipilæ* funt adhibendæ.

Pulmonibus ope fpongiæ humidæ circa os & nares detentæ aut ope machinæ *Mudgianæ* vapor communicatur.

Sella perforata pro vaporatione vaginæ, uteri, ani eft in ufu. Huic decoctum infunditur bulliens.

Exemplum vaporis medicati *refolventis.*

℞ Specierum refolventium pug. ij.
infundantur cum aquæ ferventis & aceti vini aa unc. iv.
S. fervefacti liquoris vapori nuda exponatur pars affecta per quadrantem horæ.

Balneum vaporofum.

Vapor medicatus, cui tota, excepto capite, exponitur corporis fuperficies.

Bafis. Vapor aquæ vel decocti ex fpeciebus aromaticis, aut fpiritus vini accenfus.

Apparatus pro balneo vaporofo. Variæ funt inventæ domunculæ, fellæ, arcæ, machinæ fornicatæ, intra quas ægrotus ftans, fedens vel jacens,

corpore nudo, aut tenui linteamine tecto, capite foras porrecto, coercitum excipiat vaporem.

Nimirum lampas ſpiritu vini repleta, accenſo ellychnio, in loculum reponitur, atque machinæ, in qua locatus eſt æger, ita adaptatum, ut excuſſus de flamma vapor calidus, aut machinæ ipſius parietibus, aut ſuper injectis ſtragulis concluſus, interventu tubi, vel & ſine eo, ad corpus ægri determinetur.

Alias vero liquor ebulliens eundem in loculum ponitur, fervorque ejus ſubdito igne conſervatur, aut frigescenti bulliens alius continuo ſubſtituitur, aut & in ollam immiſſo ſilici, laterive candefacto liquor ſuperfunditur; aut denique in liquorem lapides igniti conjiciuntur, alii poſt alios, prioribus, cum reſtincti ſunt, exemtis, ut perennis ſuſtineatur vaporatio.

Signatura. Sudet ægrotus per ½ horam, ſi vires ferunt. Sudoribus deterſis fricetur pannis laneis, calidis, ſiccis, villoſis, præſertim ad partes paralyſi vel rheumatismo chronico affectas, tandem jusculo vinoſo reficiatur.

Balneum medicatum.

Liquor medicatus forma balnei externæ corporis ſuperficiei applicatus.

Dividitur reſpectu partis, cui applicatur,

in *univerſale*, cui tota corporis ſuperficiès, excepto capite, immergitur;

— *ſemicupium*, cui dimidia ægroti corporis regio tantum, a ſcrobiculo cordis aut ab umbilico ad pedes usque, inſidet;

— *partiale*, quo *pediluvium*, *maniluvium* & *peniluvium* refertur.

Baſis eſt varia. Sulphuretum pro balneis *antiſcabioſis*, globuli martiales pro *roborantibus*; lac & ſpecies emollientes pro *emollientibus*.

Vehiculum fere ſemper eſt aqua tepida, raro frigida.

Apparatus pro balneo univerſali & ſemicupio eſt *cupa balnearia*, aqua tepida repleta, ægroti magnitudini reſpondens, cui imponuntur linteamenta. Quandoque ſpecies emollientes ſacco lineo vel laneo inſutæ ſimul imponuntur.

Subſcriptio. Fiat liquor, vel ſpecies, vel ſaccus pro balneo, vel ſemicupio aut pediluvio.

Signatura. Liquor vel ſpecies immittantur balneo, ac dein ægrotus huic nudus vel tenui linteamine tectus inſideat per mediam integramve horam.

Exemplum balnei *hepatici.*

℞ *Hepatis ſulphuris unc.* ß.
Solvatur in aquæ communis libr. ß.
cui adde
Sqiritus ſalis marini ſcrup. iv.
D. S. iufundatur in aquam balnei.

Exemplum femicupii *emollientis.*

℞ Radicis althææ
Herbæ malvæ
—— althææ
Florum verbasci aa unc. iv.
incifa d. ad chartam. S. Species, quæ laxe facculo lineo infui, atque per quadrantem horæ in aliquibus menfuris aquæ communis coqui debent. Dein infideat æger balneo per femihoram, facculo fuppofito.

Exemplum pediluvii *irritantis.*

℞ Furfurum tritici
Farinæ finapis aa unc. ij.
m. d. ad chartam. S. infundantur in libr. ij. aquæ & infufum addatur pediluvio.

(Omiffum ad paginam 52.)

Acidula arteficialis.

Aqua communis acido carbonico feu äere fixo impraegnata.

Bafis plerumque eft duplex, acidum nempe carbonicum, & alcali minerale vel ferrum.

Corrigens. Sapor ingratus acidulæ lixiviofæ lacte vel faccharo corrigitur, ut id etiam a quibusdam in potu acidularum naturalium fieri folet.

Subfcriptio. Aqua cum fuo ingrediente in apparatu

Woulfiano impraegnetur acido carbonico, ex creta in frustula exigua contusa, ope spiritus vitrioli evoluto, eo usque, donec acidum carbonicum superabundet.

Signatura. Aqua äerata obtenta, in lagena vitrea epistomio vitreo & duplici vesica bubula clausa servetur.

Exemplum acidulae *alcalinae.*

℞ Sodae depuratae dr. ß.
Aquae destillatae communis libr. ij.
Alcali in aqua solutum impraegnetur l. a. acido carbonico. S. bibatur poculatim.

Exemplum acidulae *martialis.*

℞ Limaturae martis purae dr. ß.
Ligetur in petiolum & suspendatur filo in lagenam vitream libris duabus aquae communis repletam, ac tandem haec in apparatu Woulfiano l. a. äeretur. S. Potetur poculatim.

Exemplum acidulae ex *pulvere äerophoro.*

℞ Sodae depuratae dr. j.
Cremoris tartari dr. iij.
Sacchari canariensis dr. ij.
Misceantur in pulverem tenuissimum. S. cochlear parvum injiciatur aliquot unciis aquae fontanae, & cito sub ebullitione, omni secunda vel tertia hora epotetur.

Doſes

Medicamentorum ſimplicium ac præparatorum maxime uſualium pro conſiſtentis ætatis homine.

Medicamentorum alterantium doſis ſæpius de die datur.

A.

Abrotani herba. p. j. cum aquæ unc. iv. in *infuſo*, *conſerva* dr. ij. in *electuario.*

Abſynthii pontici herba. p. j. cum aquæ vel vini unc. viij. in *infuſo.*

Abſynthii vulgaris herba. p. j. cum aquæ vel vini unc. viij. in *infuſo.*

Conſerva dr. ij. in *electuario.*

Tinctura dr. ß.

Extractum ſcrup. ß. in *electuario*, *pilulis*, *mixtura.*

Oleum deſtillatum pro *linimento.*

—— *coctum* pro *linimento.*

Acaciæ flores recentes. M. j. cum ſeri lactis libr. j. in *infuſo.* *Siccatorum* p. ij. cum aquæ unc. vj. in *infuſo.* *Syrupi* unc. ij. in *electuario*, *potione.*

Acetoſæ radix dr. ij. cum aquæ unc. vj. ad iv. in *decocto.*

Acetosellæ herba recens. M. j. cum juris libr. j. ad unc. x. in *decocto.*

Conserva unc. ß. in *electuario.*

Acetum destillatum unc. j. in *mixtura. Syrupus aceti* unc. ß. *Oximel simplex* unc. ß.

Aconiti extractum gr. j. cum saccharo in *pulvere* vel *pilulis.*

Aether aceticus. scrup. j. in *mixtura concentrata.*

Aether vitriolicus. scrup. j. in *mixtura concentrata.*

Aethiops mineralis. dr. j. in *pulvere* vel *pilulis.* Grana 3 continent mercurii gr. 2.

Agaricus albus gr. jß. cum vini unc. vj. in *infuso.*

Agrimoniæ herba p. j. cum aquæ unc. iv. in *infuso.*

Alcali volatile siccum scrup. ß. in *mixtura.*

Allii spicæ Nro. 2. cum juris vel lactis unc. viij. ad vj. in *decocto.*

Aloe dr. jß. in *pilulis* vel *electuario.* unc. ij. cum aquæ unc. iij. in *infuso.*

Althææ radix dr j. cum aquæ unc. iv. in *infuso.*
herba p. j. cum aquæ unc. vj. in *infuso.*
flores p. ij. cum aquæ unc. vj. in *infuso.*
syrupus unc. ß. in *linctu.*
Tabellæ Nro. 2.

Alumen crudum ſcrup. ß. in *pulvere*, *pilulis*, *mixtura*.

Ambra ſcrup. ß. in *pulvere*, *electuario*, *pilulis*.

Ammoniacum depuratum dr. ß. in *pulvere*, *pilulis* vel *emulſione ſpuria*.

Amygdalæ dulces unc. ß. cum aquæ libr. j. in *emulſione*. *Syrupus amygdalinus* unc. ß. *Oleum recens preſſum* unc. ß. in *eclegmate*, *mixtura*.

Amygdalæ amaræ unc. ß. cum aquæ libr. j. in *emulſione*.

Amylum tritici dr. j. in *pulvere*, *eclegmate*.

Anagallidis herba ſcrup. iv. in *pulvere*. M. j. cum aquæ libr. j. ad unc. x. in *decocto*.

Anethi ſemen dr. ß. cum aquæ unc. iij. in *infuſo*. *Oleum deſtillatum* pro *linimento*, pro *enemate*

Angelicæ radix dr. j. cum aquæ unc. vj. in *infuſo*. *Extractum ſpirituoſum* ſcrup. j. in *mixtura*, *pilulis*.

Anguſturæ cortex ſcrup. ß. in *pulvere* dr. j. cum aquæ unc. iv. in *infuſo*.

Aniſi ſemen dr. j. cum aquæ unc. iij. in *infuſo*. *Aqua deſtillata* unc. j. in *mixtura* vel *julepo*. *Oleum deſtillatum* ſcrup. ß. in *elæoſaccharo* vel *rotulis*.

Aniſum ſtellatum dr. ß. cum aquæ unc. iij. in *infuſo*. *Tinctura* dr. j. in *mixtura*, *julepo*.

Antimonium crudum dr. j. in *pulvere*, *electuario*, *morſulis*.

Tinctura antimonii dr. ß. in *mixtura concentrata*.

Aethiops antimonialis dr. j. in *pulvere* vel *electuario*.

Antimonium diaphoreticum ablutum dr. ß. in *pulvere* vel *mixtura*.

Antimonium diaphoreticum non *ablutum*. Eadem doſi.

Antimonii ſulphur auratum gr. j. in *pulvere* vel *bolo*.

Aquifolii herba M. j. cum aquæ unc. viij. ad unc. vj. in *decocto*.

Arabicum gummi dr. ß. in *pulvere*, *pilulis* vel *eclegmate*.

Mucilago gummi arabici dr. ij. in *mixtura*.

Arcanum duplicatum dr. j. in *pulvere*, *mixtura*.

Ari radix dr. ß. in *pulvere* vel *electuario*.

Armoraciæ radix unc. ß. cum juris libr. j. ad unc. viij. in *decocto*. *Succi expreſſi* unc. j.

Arnicæ flores p. j. cum aquæ unc. vj. in *infuſo*.

herba dr. j. cum aquæ unc iv. in *infuſo*.

radix ſcrup. ij. in *pulvere* vel *electuario* dr. jß. cum aquæ unc. iv. in *infuſo*.

Extractum florum ſcrup. ß. in *pilulis*.

Syrupus florum unc. ß. in *mixtura*.

Aſſa foetida ſcrup. ß. in *pilulis.*

Aſtragali radix unc. ß. cum aquæ unc. viij. in *decocto.*

Aurantiorum pomum. Nro. j. *flores* p. j. cum aquæ unc. vj. in *infuſo.*

Cortex dr. ij. cum aquæ unc. viij. vel vini unc. vj. in *infuſo* dr. j. in *pulvere* vel *electuario.*

Folia dr. ß. in *pulvere* vel *electuario* unc. ß. cum aqua unc. xij. per bihorium lente coquantur.

Aqua florum naphæ unc. ß. in *julepo*, *mixtura*, *infuſo.*

Oleum deſtillatum guttæ iij. cum ſacchari albiſſimi dr. j. in *elæoſaccharo.* Vel atteratur ſaccharum albiſſimum ad pomum integrum aurantii.

Syrupus corticum aurantiorum unc. ß. in *mixtura* vel *julepo* aut *electuario.*

Syrupus foliorum aurantiorum. Doſi eadem.

Tinctura corticum aurantiorum dr. j. in *mixtura* vel *julepo.*

Avenæ decorticatæ unc. j. cum aquæ libr. j. ad unc. viij. in *decocto.*

B.

Balauſtiorum flores dr. j. in *pulvere* vel *electuario* dr. ij. cum aquæ unc. iv. in *infuſio.*

Balſamum copaivæ ſcrup. ß. in *emulſione*, *mixtura concentrata*, *pilulis.*

Bardanæ radix unc. ß. cum aquæ unc. vj. in *decocto.*

Beccabungæ herba recens. Succi expreſſi unc. j. *conſervæ* unc. ß. in *electuario.*

Belladonnæ herba A. gr. v. ad xv. cum aquæ unc. viij. in *infuſo.*

radix eodem modo vel, gr. ij. in *pulvere.*

Extractum a gr. v. ad x. in *pulvere, pilulis.*

Bellidis flores p. j. cum aquæ unc. iv. in *infuſo.*

herba doſi eadem.

Benzoes reſina in *ſuffitu.*

flores ſcrup. ß. in *pulvere, pilulis.*

Berberidis fructus exſiccati unc. j. cum aquæ unc. iv. in *decocto.*

Syrupus unc. ß. in *mixtura, julepo.*

Rotulæ unc. ß.

Bolus alba in *adſpergine.*

Bolus armena unc. j. in *pulvere, mixtura.*

Borax dr. j. in *pulvere* vel *mixtura.*

Borrago. Herbæ recentis p. ij. cum aquæ unc. vj. in *infuſo* vel ſucci unc. ß. in jure carnis.

Botryos mexicanæ herba dr. ß. in *pulvere* vel *electuario* unc. ß. in *infuſo.*

Braſſicæ herba recens M. j. cum juris libr. j. ad unc. x. in *decocto.*

Bryoniæ radix dr. j. in *pulvere* aut *electuario* dr. iij. cum aquæ unc. viij. ad unc. vj. in *decocto.*

C.

Cacao butyrum dr. j. in *eclegmate.*

Chocolatæ unc. j. cum aquæ vel lactis unc. vj. in *dissolutione.* unc. j. in *morsulis* vel *electuario.*

Cajeput oleum scrup. ß. in *elæosaccharo* vel *mixtura concentrata.*

Calami aromatici radix scrup. j. in *pulvere* vel *electuario* dr. j. cum aquæ vel vini unc. vj. in *infuso.*

Calcis aqua unc. vj. in *potione.*

Calendulæ flores p. j. cum aquæ unc. iv. in *infuso.*

Camphora a gr. iij. ad scrup. j. in *emulsione, mixtura*, *aceto melito.*

Spiritus vini camphoratus in *fomento.*

Cancrorum lapides dr. ß. in *pulvere* aut *mixtura.*

Canellæ albæ cortex dr. ß. in *pulvere*, *electuario*, *morsulis* dr. ij. cum vini unc. vj. in *infuso.*

Cannabis semen unc. ß. cum aquæ unc. iv. in *infuso* vel *emulsione.*

Cantharides gr. j. in *bolo* vel *electuario.*

Tinctura cantharidum scrup. ß. in *potione*, *mixtura contracta.*

Capilli veneris herba p. j. cum aquæ unc. iv. in

infuso. *Syrupus capillorum veneris* unc. ß. in *mixtura* vel *eclegmate.*

Cardamomi semen scrup. j. in *pulvere* vel *electuario* dr. j. cum aquæ aut vini unc. vj. in *infuso.*

Cardui benedicti herba p. j. cum aquæ unc. iv. in *infuso* dr. j. in *pulvere.*

Caricæ pingues unc. j. cum aquæ libr. j. ad unc. viij. in *decocto.*

Carvi semen dr. ij. cum aquæ vel juris unc. vj. in *infuso.*

Oleum destillatum gut. vi. in *elæosaccharo* dr. j. in *enemate.*

Spiritus dr. ß. in *julepo* vel *mixtura.*

Caryophyllatæ radix dr. ij. cum aquæ unc. iij. in *infuso.*

Caryophyllus aromaticus scrup. ß. in *pulvere* vel *electuario* dr. j. cum aquæ aut vini unc. vj. in *infuso.*

Oleum caryophyllorum gut. iv. in *elæosaccharo.*

Cascarillæ cortex scrup. j. in *pulvere* aut *electuario* dr. j. cum vini unc. vj. in *infuso.*

Cassiæ pulpa unc. iv. cum aquæ libr. j. in *decocto.*

Cassiæ ligneæ cortex scrup. ij. in *pulvere* aut *electuario* dr. ij. cum aquæ vel vini unc. iv. in *infuso.*

Caſtoreum gr. ij. vel iij. in *pulvere.*

Aqua deſtillata unc. j. in *mixtura.*

Tinctura caſtorei ſcrup. j. in *mixtura concentrata.*

Trochisci de caſtoreo ſcrup. j.

Catechu dr. ß. in *pulvere* vel *electuario* aut *mixtura* vel *pilulis.*

Extractum eadem doſi & modo.

Tinctura catechu dr. ß. in *mixtura.*

Trochisci pro *maſticatorio* Nro. 1.

Centaurii minoris herba p. j. cum aquæ unc. vj. in *infuſo.*

Extractum gr. xv. in *pilulis*, *electuario*, *mixtura media.*

Cera alba dr. ß. in *emulſione.*

Ceraſa nigra exſiccata unc. ij. cum aquæ libr. j. ad unc. viij. in *decocto.*

Aqua deſtillata ceraſorum nigrorum unc. j. in *julepo*, *mixtura.*

Cerefolii herba recens M. j. cum aquæ aut juris libr. j. ad unc. x. in *decocto. Succi expreſſi* unc. iij.

Aqua deſtillata unc. j. in *mixtura*, *julepo.*

Cervi cornu raſura unc. j. cum aquæ libr. jß. ad unc. x. in *decocto.*

Cervi cornu liquor ſuccinatus ſcrup. j. in *mixtura media* vel *concentrata.*

Cervi cornu ſpiritus dr. ß. in *mixtura vulgari* vel *concentrata.*

Cervi cornu gelatina unc. ß. in juris unc. vj. diluta.

— — *ſal* ſcrup. ß. in *pulvere, pilulis, mixtura concentrata.*

Ceti ſperma dr. j. in *eclegmate.*

Chamedrios herba p. j. cum aquæ unc. iv. in *infuſo.*

Chamomillæ romanæ flores p. j. cum aquæ unc. iv. in *infuſo.*

Chamomillæ vulgaris flores. Doſi eadem.

Aqua deſtillata unc. j. in *mixtura.*

Oleum deſtillatum gutt. vj. in *elæoſaccharo.*

Syrupus chamomillæ unc. ß. in *mixtura.*

Chelidonii majoris herba recens M. j. cum juris libr. j. ad unc. x. in *decocto.*

Extractum ſcrup. j. in *mixtura* vel *pilulis.*

Chenopodii ambroſioides herba dr. ß. in *pulvere* vel *electuario* M. ß. cum aquæ unc. iv. in *infuſo.*

Chinæ nodoſæ radix unc. ß. cum aquæ unc. vj. ad unc. iv. in *decocto.*

Chinæ cortex dr. ß. in *pulvere* vel *electuario* dr. j. cum aquæ unc. iv. ad unc. iij. in *decocto*

dr. j. cum vini unc. ij. in *infuſo.* unc. ß. cum aquæ unc. vj. pro *clysmate.*

Extractum ſcrup. j. in *pulvere*, *pilulis*, *mixtura.*

Syrupus unc. j. in *mixtura.*

Tinctura dr. j. in *julepo*, *mixtura concentrata.*

Chinæ rubræ cortex. Doſi aliquantum minori.

Cichorei herba recens M. j. cum juris libr. j. in *decocto.*

radix recens unc. ß. cum juris unc. x. ad unc. viij. in *decocto.*

Extractum herbæ ſcrup. j. in *pilulis*, *mixtura.*

Cicutæ herba ſcrup. ij. ſenſim aſcendendo cum aquæ unc. viij. in *infuſo.* *Succi expreſſi* ad dr. j. ſenſim ad unc. ß.

Conſerva dr. jß. in *electuario.*

Extractum a granis iv. ſenſim ad dr. jß. in *pilulis.*

Cinæ ſemen. V. ſantonici ſemen.

Cinnabaris factitia ſcrup. ß. in *pulvere.*

Cinnamomi clavelli dr. ß. in *pulere* vel *electuario.* dr. j. cum aquæ vel vini unc. vi. in *infuſo.*

Tinctura clavellorum cinnamomi dr. ß.

Cinnamomi cortex dr. j. cum aquæ vel vini unc. vj. in *infuſo.* dr. ß. in *pulvere* vel *electuario* aut *morſulis.*

Aqua destillata simplex unc. j. in *mixtura*, *julepo*.
Aqua destillata vinosa unc. ß. in *mixtura*, *julepo*.
Tinctura dr. ß. in *mixtura*, *julepo*.
Oleum destillatum gutt. vj. iu *electuario*.
Syrupus cinnamomi unc. ß. in *mixtura* vel *julepo*.

Citri cortex unc. ß. cum aquæ unc. viij. ad unc. vj. in *decocto*.
Aqua destillata unc. j. in *mixtura*, *julepo*.
Oleum destillatum gutt. vj. in *elæosaccharo*.
Spiritus cort. citri dr. j. in *mixtura*.
Tinctura cort. citri dr. j. in *mixtura*.
Citri pulpa unc. ß. cum saccharo consperfa.
Syrupus acetositatis citri unc. ß. in *mixtura*.
Succus citri unc. ß. in *mixtura*, *rotulis*.

Coccinella dr. ß. in *pulvere*, vel *electuario* aut *morsulis*.

Cochleariæ herba recens M. j. cum juris libr. j. ad unc. x. in *decocto*. *Succi expressi* unc. iij.
Aqua destillata unc. ij. in *mixtura*.
Conserva dr. ij.
Spiritus cochleariæ unc. ß. in *mixtura*.

Extractum cochleariæ scrup. j. in *pilulis*.

Colchici radix dr. ij. cum aquæ unc. viij. ad unc. vj. in *decocto*.

Acetum dr. ij. in *mixtura.*

Oxymel colchici dr. iij. in *mixtura.*

Syrupus colchici dr. iij. in *mixtura.*

Colocynthidis pulvis gummoſus ſeu *Alhandal* dr. ß. cum aquæ unc. iv. in *infuſo* dr. iij. in *clysmate.*

Columbæ radix ſcrup. j. in *pulvere*, *electuario* dr. ß. cum vini unc. iv. in *infuſo.*

Conchæ præparatæ dr. ß. in *pulvere*, *mixtura.*

Contrayervæ radix dr. ß. in *pulvere*, *mixtura* dr. ij. cum vini unc. vj. in *infuſo.*

Syrupus unc. ß. in *mixtura*, *julepo.*

Tinctura contrayervæ dr. j. in *julepo* vel *mixtura concentrata.*

Coriandri ſemen dr. j. in *pulvere.* dr. ij. cum aquæ unc. vj. in *infuſo.*

Creta præparata dr. ß. in *pulvere*, *mixtura*, *trochiscis.*

Crocus auſtriacus ſcrup. j. in *pulvere* vel *morſulis.* dr. j. cum aquæ unc. vj. in *infuſo.*

Extractum ſpirituoſum ſcrup. ß. in *pilulis*, *pulvere*, *mixtura concentrata.*

Tinctura croci dr. ß. in *mixtura concentrata.*

Cubebæ fructus ſcrup. ß. in *pulvere* vel *morſulis* dr. ij. cum vini unc. iv. in *infuſo.*

Cuprum ammoniacum a grano $\frac{1}{4}$ ad gr. $\frac{1}{2}$.

Curcumæ radix ſcrup. ij. in *pulvere* vel *electuario*. unc. ij. cum aquæ unc. viij. in *infuſo*.

Cydoniorum ſemen dr. j. cum aquæ unc. iv. *extracta* pro *mucilagine* vel *linctu*.

D.

Dauci ſylveſtris ſemen dr. ij. cum aquæ unc. vj. in *infuſo*.

Dictamni albi radix dr. ij. cum aquæ unc. viij. in *infuſo*.

Digitalis purpureæ folia a gr. j. ſenſim ad iij. in *pulvere* vel *pilulis*, cum opii gr. j. Vel dr. ß. cum aquæ unc. x. & tincturæ cinnamomi vinoſæ unc. j. in *infuſo*, quod omni bihorio ad unc. ß. exhibetur.

Extractum a grano j. ſenſim ad x. cum opii vel ſalis cornu cervi gr. ß. vel gr. j.

Dulcamaræ caules dr. iij. cum aquæ libr. j. ad unc. vj. in *decocto*.

Extractum ſcrup. j. in *pilulis*, *pulvere*, *mixtura*.

E.

Ebuli baccæ dr. ij. in *pulvere* vel *electuario*. unc. ß. cum aquæ unc. vj. ad unc. iv. in *decocto*.

Roob ebuli unc. ß. in *electuario*, *mixtura*.

Enulæ radix dr. j. in *pulvere* vel *electuario*. dr. jß. cum aquæ unc. vj. in *infuſo*.

Extractum ſpirituoſum ſcrup. j. in *pilulis*, vel *mixtura.*

Tinctura enulœ dr. j. in *mixtura concentrata.*

F.

Fillicis maris ſtipites dr. j. in *pulvere* vel *electuario.* unc. ß. cum aquæ libr. j. ad unc. viij. in *decocto.*

Flammulœ jovis folia dr. ß. cum aquæ unc. vj. in *infuſo.*

flores. Doſi eadem.

Extractum a gr. j. ſenſim aſcendendo.

Foeniculi ſemen dr. ß. in *pulvere* vel *electuario.* dr. j. cum aquæ unc. viij. in *infuſo.*

herbœ p. j. cum aquæ unc. iv. in *infuſo.*

radicis dr. jß. cum aquæ unc. iv. in *infuſo.*

Aqua deſtillata unc. j. in *mixtura.*

Oleum deſtillatum guttæ ij. cum ſaccharo.

Syrupus foeniculi unc. ß. in *mixtura.*

Fumariœ herba recens M. j. cum juris aut ſeri lactis libr. i. in *infuſo.* unc. ij. ſucci expreſſi.

Conſervœ unc. ß. pro doſi.

Extractum ſcrup. j. in *pilulis*, *mixtura.*

Syrupus fumariœ unc. ß. in *mixtura.*

G.

Galangœ radix dr. ß. in *pulvere* vel *electuario.* dr. j. cum vini unc. vj. in *infuſo.*

Galbanum depuratum dr. ß. in *pilulis.*

Gentianæ radix dr. ij. cum aquæ libr. j. ad unc. viij. in *decocto.*

Tinctura dr. ß. in *mixtura contracta.*

Extractum gr. xv. in *pilulis.*

Geoffroyæ cortex unc. j. cum libr. j. aquæ in *decocto* ad unc. vj. Cujus mane ac vesperi 3 cochlearia hauriuntur.

Graminis radix unc. j. cum aquæ unc. xiv. ad libr. j. in *decocto.*

Extractum liquidum unc. ß. in *mixtura.*

Gratiolæ herba scrup. j. in *pulvere.* dr. j. cum aquæ unc. iij. in *infuso.*

radix dosi eadem.

Extractum scrup. ß. in *pilulis* vel *mixtura.*

Guajacum gummi a gr. v. ad x. in *pilulis* vel *pulvere.*

Tinctura Guajaci. guttæ xxx. ad LX. in *mixtura concentrata.*

Guajacum lignum unc. j. rasuræ cum aquæ libr. iij. ad unc. viij. in *decocto.*

Cortex dosi aliquantum minori.

Extractum aquosum dr. ß. in *pilulis.*

Resina guajaci saponata dr. ß. in *pilulis.*

Gutta gummi ſcrup. ß. in *pulvere* vel *pilulis contra tæniam.*

H.

Hæmatites lapis ſc. j. in *pulvere.*

Hederæ terreſtris herba ſcrup. ij. in *pulvere*, *electuario* p. j. cum aquæ unc. iv. in *infuſo.*
Conſerva dr. ij. pro doſi.

Helix Nro. 30 cum aquæ libr. iij. ad libr. ij. coquantur.

Hellebori nigri radix. *Extractum* a granis vj. ad x. in *pilulis.*

Hordei ſemen crudum unc. j. cum aquæ unc. xviij. ad libr. j. in *decocto.*
perlatum doſi eadem.

Hyosciami folia. *Extractum* a gr. j. ad x. in *pilulis.*

Hyperici flores p. j. cum aquæ unc. iv. in *infuſo.*

Hypociſtidis ſuccus dr. ß. in *electuario*, *pilulis*, *mixtura.*

Hyſſopi herba p. j. cum aquæ unc. iv. in *infuſo.*
Aqua deſtillata unc. ß. in *mixtura.*
Syrupus hyſſopi unc. ß. in *mixtura.*

I.

Ialapæ radix a ſcrup. ij. ad dr. jß. in *pulvere* vel *bolo.*

resina a gr. v. ad x. in *spiritu vini.*
resina saponata gr. xv. in *pilulis.*

Imperatoriæ radix scrup. ij. cum aquæ unc. viij. in *infuso.*

Ipecacuanhæ radix scrup. j. in *pulvere* dr. j. cum aquæ unc. iv. in *infuso.*

Ireos florentinæ radix dr. ß. in *pulvere* vel *electuario.*

Iuglandis cortex viridis dr. iij. cum aquæ unc. vj. in *infuso.*
Roob nucum unc. ß. in *electuario* vel *mixtura.*
Extractum a gr. x. ad xx. in *pilulis.*

Iuniperi baccæ maturæ unc. ß. cum aquæ libr. j. ad unc. viij. in *decocto.*
Lignum unc. ß. cum aquæ libr. j. ad unc. vj. in *decocto.*
Aqua destillata unc. j. in *mixtura.*
Oleum destillatum gutt. vj. in *elæosaccharo.*
Roob juniperi a dr. ß. ad dr. j. in *mixtura.*
Spiritus juniperi unc. ß. in *mixtura.*

K.

Kermes minerale gr. j. cum *saccharo* vel *linctu.*

Kino gummi a granis x. ad xx. in *pilulis.*

L.

Lac vaccinum libr. j.

Lactis ſaccharum dr. ij. in. *pulvere* vel *ecleg-mate.*

Lactis ſerum libr. j.

Lactucæ ſylveſtris extractum a gr. xx. ad xxx. in *mixtura.*

Lapathi acuti radix. Recentis unc. ß. cum juris libr. j. ad unc. x. in *decocto.* Radicis *ſiccatæ* dr. ij. cum aquæ unc. viij. ad unc. vj. in *decocto.*

Lavandulæ flores p. j. cum aquæ unc. iv. in *in-fuſo.*

Lauri baccæ gr. vj. in *pulvere* vel *electuario.* ſcrup. j. cum aquæ unc. vj. in *infuſo.*

Lauroceraſi folia Nro. 1. cum libra una lactis in *infuſo frigido.*

Ledi paluſtris herba dr. ij. ad unc. vj. aquæ in *infuſo.*

Leviſtici radix dr. ij. cum aquæ unc. viij. in *in-fuſo.*

ſemen dr. j. in *pulvere* vel *electuario.* dr. ij. cum aquæ unc. vj. in *infuſo.*

Lichenis islandici herba unc. j. cum aquæ aut lactis libris duabus in *decocto.*

Lini ſemen dr ij. cum aquæ unc. iv. in *infuſo.* *Oleum preſſum* unc. j. in *linctu.*

Liquiritiæ radix unc. ß. cum aquæ unc. viij. in *infuſo.* dr. j. in *pulvere.*

Extractum liquiritiæ dr. j. in *pulvere* vel *pilulis.*

Liquor anodynus mineralis ſcrup. j. in *mixtura concentrata* vel *media.*

Liquor cornu cervi ſuccinatus ſcrup. j. doſi eadem.

Liquor ſalis tartari ſcrup. j. in *mixtura media* vel *concentrata.*

Liquor terræ foliatæ tartari dr. ß. in *mixtura* vel *mixtura concentrata.*

Lycopodii ſemen ſcrup. j. in *pulvere*, *pilulis*, *electuario.*

M.

Macis ſcrup. j. in *pulvere*, vel *electuario.*

Oleum deſtillatum dr. ß. in *elæoſaccharo.*

Tinctura macis dr. ß. in *mixtura contracta* vel *julepo.*

Magneſia muriæ dr. j. in *pulvere*, *mixtura.*

— — *uſta* dr. ß. in *pulvere*, *mixtura.*

— — *nitri* dr. j. in *pulvere*, *mixtura.*

Majoranæ herba p. j. cum aquæ unc. iv. in *infuſo.*

Aqua deſtillata unc. j. in *mixtura.*

Oleum deſtillatum ſcrup. ß. in *elæoſaccharo.*

Malvæ folia p. ij. cum aquæ unc. vj. in *infuſo.*

flores doſi eadem.

Maltum hordei unc. iv. cum aquæ ferventis libr. j.

ſtent in infuſione calida per horas quatuor, colatura detur.

Mannæ electæ unc. ij. cum aquæ unc. vj. in *diſſolutione.*

Syrupus mannatus unc. ij. pro doſi.

Marrubii albi herba p. ij. cum aquæ unc. vj. in *infuſo.*

Maſtiche ſcrup. j. in *pulvere*, *pilulis*, *electuario.*

Matricariæ herba p. ij. cum aquæ unc. viij. in *infuſo.*

flores doſi eadem.

Martis limatura ſcrup. j. in *pulvere*, *electuario*, *pilulis*. dr. vj. cum vini libr. j. in *infuſo.*

Aethiops martialis ſcrup. j. in *pulvere*, *pilulis*, *bolo.*

Tinctura martis pomata ſcrup. j. in *mixtura concentrata.*

Tinctura martis alcalina Stahlii doſi eadem.

Extractum martis pomati a gr. x. ad xv. cum ſaccharo vel in *pilulis.*

Flores ſalis ammoniaci martiales ſcrup. j. in *pulvere.*

Spiritus ætheris martialis a xv. ad xx. aut xxx. guttas in *fruſtulo ſacchari.*

Mellis communis unc. ß. in *linctu*, *electuario*, *lacte*,

Melissæ herba p. j. cum aquæ unc. iv. in *infuso.*
  Aqua destillata unc. j. in *mixtura.*
  Spiritus melissæ unc. ß. in *mixtura.*

Melitensis fungus dr. j. cum aquæ unc. iv. in *decocto.*

Meloe proscarabeus demto capite in melle servatus a grano j. ad iij.

Melonis semen dr. ij. cum aquæ unc. ß. in *emulsione.*

Menthæ crispæ herba p. j. cum aquæ unc. iv. in *infuso.*
  Aqua destillata unc. j. in *mixtura.*
  Oleum destillatum scrup. ß. in *elæosaccharo.*
  Spiritus menthæ unc. ß. in *mixtura, julepo.*
  Conserva dr. ij. in *electuario.*
  Syrupus menthæ unc. ß. in *mixtura, julepo.*

Menthæ piperitæ herba p. j. cum aquæ unc. iv. in *infuso.*
  Aqua destillata unc. j. in *mixtura.*
  Oleum destillatum scrup. ß. in *elæosaccharo.*
  Rotulæ menthæ piperitæ dr. j.

Mercurius vivus unc. iv. cum oleo lini in ileo. unc. ij. cum aquæ vel decocti graminis libr. iij. ad libr. j. in *decocto.*

Mercurius dulcis scopo purgandi scrup. ß. scopo alterandi gr. j. mane ac vespere, in *pilulis* vel *pulvere.*

Mercurius gummoſus. Pilulæ quinque mane ac veſpere, quarum quælibet continet quartam grani partem.

Mercurius niger ſeu *ſolubilis Hahnemanni* a grano medio cum $\frac{1}{4}$ grano opii & ſaccharo bis de die.

Mercurius præcipitatus albus quondam granum ſemis bis de die in morbis oſſium dabatur.

Mercurius phosphoratus a grano uno ſenſim aſcendendo ad plura.

Mercurius ſublimatus corroſivus gr. j. in unc. ij. aquæ deſtillatæ ſoluti detur cochlear unum in vehiculo mucilaginoſo, mane ac veſpere.

Mercurialis terra foliata. A gr. uno ſenſim aſcendendo ad plura.

Mezerei cortex dr. ij. cum radicis liquiritiæ unc. ß. in aquæ libr. jß. ad libr. j. coctæ detur vaſculum dimidium quater de die.

Millefolii herbæ p. j. cum aquæ unc. iv. in *infuſo*. *flores* doſi eadem.

Millepedes recentes Nro. 100. cum juris libr. j. triti.

Minderei ſpiritus. dr. j. in *mixtura*.

Mororum roob unc. ß. in *mixtura* vel *gargariſmate*.

Syrupus eadem doſi.

Moſchata nux dr. ß. in *pulvere*, *morſulis*, *electuario*.

Oleum deſtillatum ſcrup. ß. in *elæoſaccharo*.

Oleum preſſum nucis moſchatæ ſcrup. ß. in *balſamo.*

Moſchus a granis iv. ad ſcrup. j. in *pulvere* vel *bolo.*

Moſchus artificialis a ſcrup. j. ad dr. ß. in *pulvere* vel *bolo.*

Myrobalani citrini. Cortex fructuum unc. ß. cum aquæ dr. vj. in *infuſo.*

Myrrhæ ſcrup. ß. in *pulvere*, *pilulis*, *electuario*, *mixtura.*

Myrtillorum exſiccatorum unc. ß. cum aquæ libr. j. ad unc. viij. in *decocto.*

Syrupus myrtillorum unc. ß. in *mixtura.*

N.

Naphtha vitrioli V. æther vitriolicus.

Naſturtii aquatici herba recens M. j. cum juris libr. j. ad unc. viij. in *decocto.* unc. iv. *ſucci expreſſi.*

Conſerva naſturtii aquatici dr. ij. in *electuario.*

Nicotianæ folia dr. ij. cum aquæ unc. vj. ad unc. iv. in *decocto* pro *clyſmate.*

Nitrum depuratum a granis x. ad dr. ß. in *pulvere* vel *mixtura.*

O.

Olibanum ſcrup. ij. in *pulvere*, *electuario*, *pilulis.*

